54704/B

85639

# ROBERTI WELSTED

DE

# Medicina Mentis

# LIBER.

*LONDINI,*

Impenſis J. Walthoe, ex adverſo Excambij Regalis, in Cornhill. MDCCXXVI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

# REGI.

UT hujuſce generis tentamen MAJESTATI TUÆ, REGUM OPTIME, dicarem, argumenti dignitas utiliſſimi, ac perpetua Principum maximorum erga medendi artem ipſiúſque cultores gratia eò uſque animum appulerunt. Humana ſiquidem mens

primos naturæ honores occupat; quâ nihil majus generatur, & citra quam ea, quæ genita ſunt, nullius ferè momenti æſtimantur. Sapientiæ ipſamet fons & principium eſt, non illius modò, quæ urbes condidit, vitámque ornat civilem, verùm etiam quæ civitates gubernat ac ſervat, nec in pacis minùs officijs, quàm belli muneribus elucet. Eâdem etiam origine natum eſt crevítque temperatum illud & æquabile imperij genus, ob ſalubrem tum quæ ad Regem cum quæ ad cives prudentiam pertinet celeberrimum; quo fretus incitatúſque populus ille magnus ſeſe privatim excolit, communémque induſtriam ad præ-

clara ſibi poſteríſque præſtanda Auſpicijs Tuis feliciter dirigit: Dum unius ad inſtar familiæ Britannia exitioſæ ſibi contentionis oblita, Patri obtemperare æmulatione piâ geſtit, atque ipsi pariter dilectos liberorum ritu ſubditos ampliſſimâ animi munificentiâ complecti, & ſingulorum emolumentis conſulere ſummâ cum benignitate ſuave eſt. Ea Principes optimos trahit voluptas, cujus illecebris curæ pectora eorum agitantes deliniuntur. Tanta quidem grati agnoſcimus; & quidnî fas ſit ex ijſdem fauſta, magnifica omníque laude cumulanda, qualia majores non nôrunt, ætáſque hominum, qui nunc ſunt, nondum

nondum vidit, Britannis augurari? Prout felicitatis, quâ jam fruimur, præſagia olim animos eorum, quotquot in patriam pij extiterunt, chariſſimâ expectatione oblectabant. Interea nemini ingentia quantumvis commoda patriæ, gaudiáque ſincerè fluentia potiri licet, qui mentis æquè ac corporis ſanitate careat. Conſilium proinde luſtrandi mentem ægram atque infirmam, uti etiam convaleſcentem & integritati reſtitutam emanavit. Ac dein, quatenus copia illud exequendi inter labores medicos facta fuit, operæ pretium videbatur ea colligere, atque in ordinem juxta naturæ inſtitutum redigere, quæ obſervata eſſent.

Hæc

Hæc jam literis tradita ut non tam parva habeantur, quin MAJESTAS TUA recipiat, ac ſplendore benignè ijſdem collucentis Patrocinij cohoneſtet, optare liceat ſubdito, quo alter non eſt TIBI devinctior,

*Roberto Welſted.*

# Argumenta Capitum.

PRÆFATIONIS


Sect. Pag.

1 *Nobiliſſima ac utiliſſima pars Medicinæ.* j

2 *Modus Medicinæ.* iij

3 *Methodi index.* ibid.

4 *Ratio tradendi.* iv

5 *Valetudo mentis ſecunda vel adverſa dignoſcenda.* vj

6 *Valetudo mentis ac corporis ſe mutuò afficiunt.* vij

7 *Ex poëtis, philoſophis, & hiſtoricis varia huc transferuntur.* ibid.

8 *Educatio huc ſpectat.* viij

9 *Morbi mentis ac corporis intertexti.* ix

10 *Mentis humanæ cum aliorum animantium facultatibus collatio.* ibid.

11 *Diſcrimen in parte animi inferiori non ſitum eſt.* x

12 *Brutorum interiora à ſe invicem diſcrepant æquè ac ab eorum nonnullis humana.* xij

Sect. Pag.
13 *Diſcrimen eorum ratio.* xij
14 *Quatenus hanc participant dignoſcere medici eſt.* xiij
15 *Diſtributio affectuum ſecundum facultates.* xiv
16 *Morborum nerveorum diſcriminatio.* ibid.
17 *Scribendi cauſæ.* xv

CAP. I. *Mentis natura.* 1

1 *Ratio diſtribuendi facultates.* ibid.
2 *Affectus varij corporis & mentis.* 2
3 *Secunda corporis valetudo menti ſæpe incommoda.* 3
4 *Dolor non ſemper menti incommodus.* 5
5 *Sedes ſensûs & modi diverſi.* 6
6 *Mentis facultates, ſenſus ſimplex, judex, memoria earúmque dotes.* ibid.
7 *Imaginationis uſus & dotes.* 7
8 *Diſcendi modus.* 8
9 *Obſequium facultatum imperatrici.* 10
10 *Diverſitas ex vario ſenſu vel præoccupatione.* 11
11 *Mentis optima conditio.* ibid.

CAP. II. *De valetudine ubi mens præcipue corpori imperat.* 13

1 *Valetudo non firmiſſima.* ibid.
2 *In quali corpore.* ibid.
3 *Valetudo menti commodiſſima.* 14

4 *In-*

Sect. Pag.
4 *Inſenſa pituita.* 14
5 *Item malus habitus.* 15
6 *Commoda alacritas temperata.* ibid.
7 *Quâ ratione commodi animi affectus, & negotia.* ibid.
8 *Valetudo continua vel interrupta.* 16
9 *Continua rarior.* ibid.
10 *Interrupta frequentior.* 17
11 *Indoles præſtantior.* ibid.
12 *Res adverſæ commodæ.* 18
13 *Exempla Ajacis & Ulyſſis.* 19
14 *Exemplum Alexandri.* 20
15 *Aliud oppoſitum.* ibid.

CAP. III. *De organis quibus mens corpori imperat.* 22

1 *Nervorum ſyſtema,* ibid.
2 *Qui primaria ſunt organa.* 23
3 *Eorum affectus morbos cæteros imitantur.* 24
4 *Senſus partium varius.* 25
5 *Sedes organorum variæ.* ibid.
6 *Diſtributio eorum ex genere,* ibid.
7 *Et modo;* 26
8 *Ex uſu;* ibid.
9 *Ex ſitu.* 27
10 *Contrarius ſenſus iiſdem organis, & aliorum aliis.* ibid.
11 *Ratio averſationis.* 28

Sect. Pag.
12 *Lucta ſenſuum contrariorum.* 29
13 *Ejus remedium educatio.* 30

## Cap. IV. *De varia organorum mentis conditione.* 31

1 *Organorum triplex conditio.* ibid.
2 *Indolentia,* 32
3 *Paucis contingens diverſa à felici tranquillitate.* ibid.
4 *Voluptas periculoſa.* 33
5 *Uſus ejus commodus.* 34
6 *Repentè tranſit in dolorem.* ibid.
7 *Conditio diverſa prout natura fert voluptatem & dolorem.* 35
8 *Quare voluptas minùs ſincera eſt.* 36
9 *Exemplum mero continuantis voluptatem.* ibid.
10 *Quî voluptas animi commoda fiat.* 37
11 *Quâ ratione corpus voluptates animi commodè ferat.* 38
12 *Exercitatio mentis commoda.* 40

## Cap. V. *De voluptate.* 43

1 *Voluptas ætatis cujuſque,* ibid.
2 *Et temperamenti;* ibid.
3 *Infantiæ primæ.* 44
4 *Cauſæ ejuſdem.* ibid.
5 *Proximæ ætatis.* 45
6 *Puerilis.* ibid.

7 *Quales*

Sect. Pag.

7 *Quales tunc temporis panduntur dotes & voluptatum fontes.* 46

8 *Eorum ſumma.* 48

9 *Adoleſcentiæ dotes & natæ inde voluptates.* 49

10 *Amor eique ſubordinatæ voluptates.* 50

11 *Amor complurium cauſa.* 51

12 *Voluptates ab amore pendentes.* 52

13 *Amore mundus continetur ex mente veterum; ejúſque poteſtas.* 53

14 *Honor ei conjunctus.* 54

15 *Quomodo voluptatum commoda decerpenda.* 55

16 *Voluptas ſeræ ætatis.* 56

17 *Illuſtratur exemplo Socratis.* 57

18 *Qui & in Prytaneo locum ſibi debitum cenſebat.* 58

19 *Ratio ejuſdem.* 59

Cap. VI. *De Dolore.* 61

1 *Qualis & quotuplex dolor.* ibid.

2 *Sedes diffuſa per univerſum.* 62

3 *Vel partes.* ibid.

4 *Intra latos vel anguſtos cancellos.* 63

5 *In nobilibus vel minoris momenti partibus.* ibid.

6 *Fabrica ſedis.* ibid.

7 *Ex ſede dignoſcuntur dolores animi & corporis.* 64

8 *Ut & dolores ſingulares.* ibid.

9 *Defectus mentis.* 65

Sect. Pag.
10 *Dolores erratici.* 65
11 *Doloris genus ex ſede varium.* 66
12 *Doloris genus.* ibid.
13 *Secundùm ſentiendi modum,* ibid.
14 *Et originem.* 67
15 *Doloris gradus.* ibid.

CAP. VII. *Quæ menti bona augent aut minuunt.* 69

1 *Qualibus opus eſt ad ritè ſentiendum.* ibid.
2 *Quali ratione ſenſus imminuitur.* 70
3 *Senſus augetur dolore & voluptate.* 71
4 *Dolor ex inediâ acutum & aſperum reddit.* ibid.
5 *Exemplum Epicteti & Stoicorum.* 72
6 *Acies inde non ſubtilis.* 73
7 *Exempla Ariſtotelis & Horatij.* 74
8 *Deſideria naturalia & acquiſita acuunt.* 75
9 *Quomodo æmulatio acuit.* 76
10 *Sanguine puro opus eſt.* 78
11 *Cœli aëriſque temperies, ſolique ſalubritas.* ibid.
12 *Collatio eorum cum egeſtate.* 79
13 *Et Libertatis cum Servitio.* ibid.
14 *Vis mentis promovetur educatione.* 80

CAP. VIII. *De Educatione.* 81

1 *Diſcriminatio bonorum à malis.* ibid.
2 *Educatio diverſa pro vitæ genere,* 82
3 *Sylveſtris,* ibid.

Sect. Pag.
4 *Urbana,* 83
5 *Militaris.* 84
6 *Exempla Jaſonis & Cyri.* 85
7 *Officium educantis.* 90

Cap. IX. *De percipiendi facultate.* 92

1 *Mutatio quævis in percipiendi modo notanda.* ibid.
2 *Malum interdum fortiùs percipere æquè ac torpidiùs.* 93
3 *Diverſitas juxta ſubtilitatem vel celeritatem.* 94
4 *Nec ab his alius eſt plenior conceptus.* 95
5 *Vitium ſtupor.* ibid.
6 *Qualis is eſt.* 98
7 *Subtilitatis defectus.* 99
8 *Defectus celeritatis.* 100
9 *Celeritas nimia.* 101
10 *Perceptio eorum quæ extra vel intra mentem fiant.* 102
11 *Erratum in ijs, quæ intra mentem fiunt.* 103
12 *Quæ affectûs vim denotant.* 104

Cap. X. *De Memoria.* 106

1 *Memoriæ conditio in ætatibus ſingulis.* ibid.
2 *Attentio & apprehenſio ad recordandum utiles.* 107
3 *Et exercitatio.* 108

Sect. Pag.
4 *Anguſtia memoriæ.* 108
5 *Memoria juniorum, maturorum.* ibid.
6 *Ipſius integritas,* 109
7 *Vigor.* ibid.
8 *Memoria ſenilis.* 110
9 *Amor & Ira ad reminiſcendum conducunt.* 111
10 *Minæ inimicorum effiguntur memoriæ,* 112
11 *Et pericula & egeſtas.* 113
12 *Metus nocet.* 114
13 *Ideo præcavendus.* 115
14 *Alacritas bona.* 116
15 *Methodus auxilium memoriæ,* ibid.
16 *Et carmen,* 118
17 *Et diſciplinæ artificium.* ibid.
18 *Artium auxilia.* 119
19 *Modus repetendi jucundus.* 120
20 *Hiſtoria viri ex cujus memoriâ deſuetudine omnia exciderunt.* 121
21 *Memoriam valere bonum.* 122
22 *Memoria apud inſipientes quandoque valet.* 123
23 *Anguſta memoria commodior quàm larga.* 125
24 *Memoria anguſta cum infidâ confertur.* 126
25 *Quâ ratione immutatur memoria.* 128
26 *Quâ ratione memoriæ fidelitas non declarat aliarum mentis facultatum præſtantiam.* 129
27 *Eadem remedia & memoriæ & corpori proſunt.* 131

Pag.

CAP. XI. *De imaginandi facultate.* 133

Sect.

1 *Imaginandi ratio.* ibid.
2 *Colores deſumti ex rebus perceptis & memoriâ retentis variè componuntur.* 134
3 *Imaginatio ſana,* 136
4 *Ac felix.* 137
5 *Ratio probandi.* ibid.
6 *Opera imaginationis.* 140
7 *Fortiſſima cavenda.* 141
8 *Imaginationis uſus.* 143
9 *Ornatus.* ibid.
10 *Poëſis ejus opera præcipua complectitur.* 145
11 *Exemplum abusûs operum imaginationis.* 146
12 *Operum quorundam diſtinctio.* 148
13 *Vitia imaginationis.* 149
14 *Vitiorum remedia duplicia.* 152
15 *Quâ ratione eadem juvant.* 154
16 *Imaginatio malè ſana.* 155
17 *Auxilia.* 159
18 *Tempora ac regimen operibus imaginationis idonea.* 160
19 *Fama mentis ab imaginatione pendet.* 161

Pag.

CAP. XII. *De judicandi facultate.* 163

Sect.

1 *Quâ ratione judicatur.* ibid.
2 *Unde error.* ibid.
3 *Ex tribus prioribus facultatibus veniens error caſtigatur.* 164
4 *Scribendi ars errores memoriales corrigit.* 166
5 *Error à judice venit in ratiocinandi facultatem.* 167
6 *Eadem utrique facultati organa.* 168
7 *Mentis veritas.* ibid.
8 *Veriſimilitudinis gradus.* 169
9 *Erratur per præcipitationem.* 170
10 *Periculum ejuſdem.* 171
11 *Unde hæc facultas conſummatur.* 172
12 *Laudatur autorum lectio & examinatio;* 174
13 *Exinde præcognitio eorum quæ eventura ſunt.* 175
14 *Non ex hypotheſibus.* 176
15 *Laus Scriptorum Claſſicorum.* 177
16 *Præſtantia judicis dum in ſcriptis verſatur.* ibid.
17 *Vitia ejuſdem.* 179
18 *Puritas fons perſpicuitatis.* 180
19 *Norma puritatis.* 181
20 *Qualis optanda.* 182
21 *Judex pro mente totâ,* 183

22 *Rerum*

Sect. Pag.
22 *Rerum momenta cognoſcit.* 185
23 *Judicium de Hominibus.* 186
24 *Hujuſmodi diſquiſitio de judice permagni eſt momenti.* 187

CAP. XIII. *De ortu atque incremento ejuſdem facultatis.* 188

1 *Proſpectus initij atque incrementi ejuſdem.* ibid.
2 *Dos illam imitans.* 189
3 *Quare exemplaria utilia.* 190
4 *Tardè creſcit hæc facultas.* 191
5 *Sit cura puerorum maxima.* 192
6 *Varia tentanda.* 193
7 *Non cogendi juniores ſed ratione ducendi.* 194
8 *Quî Libertas judici reſtituta eſt.* 195
9 *Judicia de ſignis.* 196
10 *Errores ex malè intellectis ſignis.* 197
11 *Quæ à fontibus inveſtiganda.* 198
12 *Uſus artis Criticæ.* ibid.
13 *Rerum cognitio adjungenda neceſſario.* ibid.
14 *Judicis maturitas.* 200
15 *Signa maturitatis ; Conſtantia,* 201
16 *Et dotum ad judicem ſpectantium conſummatio,* 202
17 *Uti & vanitatis caſtigatio.* 203
18 *In quali indole.* 204
19 *Comprobatio bonorum.* 205

20 *Ætas*

Sect. Pag.

20 *Ætas quando viget,* 207
21 *Atque increſcit.* 208
22 *Morbi ejuſdem.* ibid.
23 *Signa eorundem.* 209
24 *Exemplum.* 211
25 *Non admittendum vulgi judicium.* 213
26 *Inſipientia.* ibid.

CAP. XIV. *De Ratiocinatione.* 215

1 *Quale ſit ratiocinari.* ibid.
2 *Simplex ratiocinij genus.* ibid.
3 *Ratiocinatio vix alia à numeratione.* 216
4 *Non alia à judicijs repetitis aut ſupputatis.* 217
5 *Quidam laboris ratiocinandi impatientes.* 219
6 *Progreſſus ratiocinationis à numero noto ad ignotum.* 220
7 *Fallacia non aliter quàm Præſtigiæ.* 221
8 *Maxima certitudo ubi nullâ refert.* 222
9 *Illatio generis univerſi vel ſingularis rei.* ibid.
10 *Series illationum.* 223
11 *Ratiocinandi opus præſtantiſſimum.* 224
12 *Errores quantum licet cavendi.* 225
13 *Iidem morbi hujus atque judicis facultatis.* 226

Pag.

CAP. XV. *De retroſpiciendi & recognoſcendi facultate.* 228

Sect.
1 *Jus hujus facultatis in cæteras.* ibid.
2 *Ex ſuſpicione oritur ejus exercitium.* 229
3 *Tardè matureſcit creſcitque inquirendo in facultates ſibi ſubjectas ;* 230
4 *Etiam in ratiocinia.* 231
5 *Aſſimilaturætheri.* 232
6 *Prænotio huc ſpectat ;* 233
7 *Et quâ ratione.* 234
8 *Ex ejuſdem ſanitate colligitur ſanitas totius mentis.* 235
9 *Hìc ſita eſt conſcientia.* 236
10 *Indicat bonum.* 237
11 *Morbi.* ibid.
12 *Auxilia.* 241

CAP. XVI. *De mentis comprehenſione ac captu.* 243

1 *Diverſitas comprehenſionis.* ibid.
2 *Clarior in pueris.* 244
3 *Quî excolitur.* 245
4 *Culturæ difficultas.* 246
5 *Qualis ſit comprehenſio.* 247
6 *Fundamentum certitudinis.* 248
7 *Comprehenſio intra certos limites reſtricta.* 250
8 *Comprehenſio errorum.* 251

Sect. Pag.
9 *Modus comprehendendi.* 251
10 *A principijs quâ ratione cavendum.* 253
11 *Conſenſus facultatum verum comprobat.* 254
12 *Conſenſus etiam in ijs circa quæ imaginatio verſatur.* 255
13 *Qualia ſunt præjudicia.* 257
14 *Præjudiciorum vis.* 258
15 *Axiomatum uſus.* 259
16 *Uſus imaginationis ad comprehendendum,* 261
17 *Ac memoriæ.* 263
18 *Affectus.* ibid.
19 *Remedia.* 264

## CAP. XVII. *De Sagacitate.* 265

1 *Dotes ad medicinam ſpectantes,* ibid.
2 *Quæ coaleſcunt in Medicinæ indolem accommodam.* ibid.
3 *Qualis dos Sagacitas.* 267
4 *Quâ ratione Sagacitas in opere verſatur.* 269
5 *Unde materiam operum adipiſcitur.* 270
6 *Signa quotuplicia ſunt.* 271
7 *Ex conjecturis innoteſcunt veri indices.* 272
8 *Ubi ſagacitas plus valet.* 275
9 *Sagacitati debetur medicina.* ibid.
10 *Quòuſque extenditur Sagacitas medica.* 276

11 *Fun-*

Sect. Pag.
11 *Fundamenta Medicinæ.* 277
12 *De Rationali diſciplinâ atque experimentis.* 279
13 *Quâ ratione Empirici hoc argumenti tractârunt.* 280
14 *Sophiſmata Empiricorum.* 281
15 *Qui Empirici opinionem tuebantur.* ibid.
16 *Exemplum.* 283
17 *Exemplum Sagacitatem medicorum oſtendens.* 285
18 *Signorum inveſtigatio admodùm laudanda.* 286
19 *Vitium eidem oppoſitum.* 287
20 *Affectus.* 288

CAP. XVIII. *De Solertia.* 289

1 *Quâ ratione à Sagacitate contradiſtinguitur.* ibid.
2 *Solertiæ interpretatio.* ibid.
3 *Prima ejus pars.* 291
4 *Occaſionis deſcriptio.* 292
5 *Exempla Solertiæ primæ.* 293
6 *Pars Solertiæ altera.* 295
7 *Hæc Solertiæ pars Medicinæ utiliſſima.* 296
8 *Solertia enitet ex cæteris dotibus.* 297
9 *Exempla ad Medicinam ſpectantia.* 298
10 *Vitium eidem oppoſitum inertia.* 299
11 *Affectus.* 300

| Sect. | | Pag. |
|---|---|---|
| 12 | *Solertia varior vel plurium communis.* | 302 |
| 13 | *Solertia circa ſcopum verſatur,* | 304 |
| 14 | *Vel Conſilia.* | 305 |
| 15 | *Conſilia conſilijs opponit.* | 306 |
| 16 | *Solertia juniorum ac ſeniorum.* | 308 |

## CAP. XIX. *De imperatrice facultate.* 310

| | | |
|---|---|---|
| 1 | *Qualis ſit.* | ibid. |
| 2 | *Munus ejuſdem.* | 311 |
| 3 | *Vitia.* | 312 |
| 4 | *Sanitas.* | 313 |
| 5 | *Libertas.* | 314 |
| 6 | *Libertatem adimentia extrinſecus;* | 315 |
| 7 | *Et intrinſecus præjudicia;* | 316 |
| 8 | *Et morbi.* | 317 |
| 9 | *Morbi ejus peculiares.* | 318 |


*Addenda & Corrigenda.*

PAG. 4. lin. 15. *lege* pœna.
82. ad marg. *lege* ſylveſtris.
84. ad marg. *lege* militaris.

PRÆFA-

# PRÆFATIO.

VALETUDINEM mentis integram tueri aut amiſſam reſtituere primarium Medicinæ votum eſt: Ac proinde affectus organorum, quæ nobiliſſimis ipſius facultatibus inſerviunt, inſanitatis (*a*) nomine Romanis dicuntur. Planè quaſi indicarent, hanc maximè ſemet ſanitati opponere, atque adversâ eidem fronte pugnare. Neque dubitare licet, quin ſolummodo inchoata aut manca ejuſ-

*Nobiliſſima ac utiliſſima pars Medicinæ.*

(*a*) Nomen inſaniæ ſignificat mentis ægrotationem & morbum, id eſt inſanitatem. Cicer. Tuſc. 3. Quin & ſanitas à Cæſare furori opponitur, & apud eum Autorem pluribus in locis *κατ' ἐξοχὴν* mentis aut animi ſanitatem denotat.

modi ars ſit, quæ corporis itinera explorat ac deſcribit, mentis verò rationes negligit ignorátque: Idque non modò propter hujuſce dignitatem; verùm ideo præcipuè, quòd morbi ipſius nec tolli neque intelligi queant, niſi eorum etiam, quibus mens tentatur, cognitio accedat. Utriuſque quippe generis morbi plerumque inter ſe colligati atque impliciti cernuntur; adeò ut vix unquam graviores corporis affectiones contingant, niſi mens aliquatenus affligetur. Imò & exinde, quòd mentis affectus ſatis perſpectos medici habeant, oritur exquiſita in diſcernendis accidentium fontibus ſubtilitas; atque hinc ipſis pateat, quis eorum ſenſus ſit, & in qualem quæque exitum tendant. Hinc dein naſcitur curioſa in morbis regendis felicitas, quæ ad modum naturæ cujuſque ſpectat; quò ſcilicet propoſitum medentis uſque dirigitur. *Modum autem* (ut cum Hippocratis (*a*) interprete loqui liceat) *neque pondus, neque numerum aliquem, ad quem referas, cognoſces;*

(*a*) Μέτρον δὲ, ȣ̓δὲ ϛαθμὸν, ȣ̓δὲ ἀριθμὸν ȣ̓δένα ἄλλον, πρὸς ὃ ἀναφέρων εἴσῃ τὸ ἀκριβὲς ȣ̓κ ἂν εὑροίης ἄλλο, ἢ τȣ̃ σώματος τὴν αἴσθησιν. Περὶ Ἀρχ. Ἰητρ.

*certi-*

*certitudinem enim exactam non reperies aliam, quàm corporis ſenſum.*

Senſus proinde is eſt, ad quem medicus reſpicit, dum qualia, quótque ac quanta naturæ conveniunt, diſpiciat: Exinde itidem quid facilè, quid ægrè ferre poteſt, dein quid adjuturum eſt, & quòuſque in remedijs adhibendis conſcendere æquum erit, ritè colligit. Ea profectò cynoſura eſt, quæ medentibus notatur: Eſt enim cum meta, tum viæ ad eandem ducentis index; cujus quicunque peritior, is medendi artifex ſagacior atque ſecurior evadit. (*a*) *Quapropter operoſum eſt ita exactè condiſcere, ut parum in alterutram partem delinquas; quanquam ego etiam eum medicum vehementer laudârim, qui parum delinquat. Certitudinem autem exactam rarò videre contigit.* *Modus Medicinæ.*

Propterea verò quòd homo rationis particeps ſit, ob Divinæ, quæ illum intus agitat, auræ particulam; in curationibus eo præſertim reſpiciendum, ut commo- *Methodi index.*

(*a*) Ibidem.

dum ſit nobili huic incolæ templum, atque idonea dotibus pandendis ſcena ibi comparetur atque decoretur. Dum modi ergo plures curandi proponuntur medentibus conſiderandi, ratio præſertim habenda non modò hujus qui tutus eſt, ſed & qui mentem convaleſcentis non minùs ſanam ac firmam relinquat: Eo ſcilicet conſilio ut, dum vitalis flamma exuſcitatur conſervatúrque, clarè itidem pòſt reſplendeat, ac mentem pariter fulgor ægritudine jam ſublatâ ne deficiat. Idcirco autem pars magna conſiliorum apud præclaros opifices eſt, ut mens ſibi conſtet curare, útque ejus functiones ſupremæ ne lædantur, dum medicamina ſatis fortia ad ſanandum corpus adhibentur: Quod quidem nec fieri poteſt, niſi, qualiter eaſdem habere oportet, clarè ac penitiùs intelligatur.

*Ratio tradendi.* Ut proinde hujuſmodi Medicina dilucidiùs tradatur, mentis primùm natura exponitur; quibus nempe utitur inſtrumentis ad opera quævis præſtanda, & quænam inter ea diverſitas conſtat: Et quoniam pluribus mens facultatibus ornatur, quales

quales hæ ſint, & qualiter in ſanitate ejus integerrimâ ordo inter eaſdem â naturâ conſpicitur: Quippe quæ norma eſt, ad quam vitia exiguntur de eâdem deflectentia; ac proinde quò longiùs prava hæcce itinera ab ipsâ recedunt, eò deteriora dignoſcuntur. Inquiritur dein in variam organorum conditionem, an voluptas vel dolor aut quædam indolentia inter utrumque ſita adſit; quoniam triplex ea conditio multùm ad morbos clarè intelligendos æquè ac ſanitatem tuendam valet. Nimirum voluptas & dolor indices à naturâ conſtituuntur; quæ quidem interpretantur ea, quæ mens patitur, & quæ eidem profutura docent, aut cavenda monent. Proximum verò eſt ut, quæ mentem excolant, conſiderationem mereantur: Quî nimirum mens peracuitur, vel hebes redditur; uti & quæ ex educatione bona vel mala proveniunt. Nempe mens ita ferè ſe habet, prout primis inſtituta fuit annis, ac certaminibus rerum varijs accommodíſque exercitata, ad corporis dotes regendas, uti & ardua dein ſuperanda præcipuè valet.

*Valetudo mentis ſecunda vel adverſa dignoſcenda.*

Propterea hæc in primis curæ ſunt, ut, ex quo fonte vitia ſcaturiunt, pateat; & qua lege nunc corpori mens imperat, nunc & ei paret; utpote inter quas, dum vivitur, conſortio minimè diſſolvenda ſit. Corporis tamen delicijs modò mens ſeſe fruendis dedat, vix gnaviter munia ſibi propria obire, nec clarè percipere, percepta tenere, aut quævis vividè imitari poterit, nedum ad laborem fortiter cogitandi ſe accingere. Quinetiam lumina ipſius mentis ſic obſuſcantur, ac demum auctoritas labaſcit. Proinde verò quænam ejus facultates minuunt augéntve conſideratione digna ſunt, & quæ earum ſingulas juvant aut lædunt. Ubi ſanè quæritur, qualis ſecunda eſt ipſis valetudo, & quæ incommoda; quando univerſis inter ſe convenit; vel quo pacto idipſum, quod huic gratum eſt, illi adverſatur; qualis ſcilicet earum repugnantia, qualíſque omnium conſenſus eſt; ubi dein ſita eſt veri falsíque agnitio, & pariter recti pravíque conſcientia. Sanitas quippe mentis integerrima facit, ut libertas eidem competat; ubi omnes itidem facultates bene valent, atque intra fines quæque ſuos ſe continent.

Obiter

Obiter dein plura obſervantur, quæ ad corporis etiam valetudinem ſpectant, quoniam hoc ipſum mente affectâ læditur, corporíſque iterum valetudo mentem afficit. Unde quidem plura deſumuntur, quæ ad medicinam faciendam conducunt; atque ipſi fontes aperiuntur, ex quibus ars olim profecta eſt; dotéſque monſtrantur, quibus ad eandem feliciter exercendam opus eſt. *Valetudo mentis ac corporis ſe mutuò afficiunt.*

Quoniam autem novâ hâc agendi methodo multa conquirere oportet, quæ in philoſophorum atque hiſtoriographorum operibus produntur, nil miri ſi pomœria, quæ à pleriſque arti medicæ deſignantur, excedere neceſſe ſit. Non enim remedia unicè pharmaceutica aut chirurgica hoc negotij exigit; verùm quicquid ubique ſapientibus reconditur conſilij monitíve, quicquid ex hiſtoriâ non ſolùm medicâ diſcere licet, univerſum illud ad hunc ſcopum rectà dirigitur. Siquidem omnia mentis opera celeberrima perſcrutari hujuſce inſtituti ratio videtur, ut conditionem illius præſtantiſſimam dignoſcere, eámque, quæ inferior eſt, dijudicare fas ſit. *Ex poëtis, philoſophis, & hiſtoricis varia huc transferuntur.*

Enimvero opera ejuſmodi valetudinem mentis commodiſſimam atque firmiſſimam patefaciunt; quæ quidem (uti ſuprà dictum fuit) norma eſt, ad quam malè ſana ipſius conditio exigi debet. Si qua enim vel longiùs de eâdem deflectat, vel ad hanc propiùs accedat, aliquis ſaltem ſanitatis gradus deficiat neceſſe eſt. Interea præcipuum inter hæc opera locum Poëſis ſibi vendicat, qualis conſilia ſapientium ſuper hâc re complectitur; inania repudiat, & pravè judicata illatáve caſtigat, atque exigit ad normam rectæ rationis, ac proinde iter inſigne monſtrat ad æquas naturæ leges ſanciendas; quibus emendari ac dein integra præſtari queat.

*Educatio huc ſpectat.* Quandoquidem autem hæc fieri niſi ætate quæque ſuâ nequeant, ideo quæ ad peculiares pertinent ætates ſubinde monere haud alienum eſt. Quo pacto etiam de educatione agitur tanquam medendi methodo, & ſine quâ non niſi perpaucæ ingenióque nobiliſſimo præditæ mentes aut ſanitatem ſervant continuam, aut interruptam recuperant. Cui itidem ſubtilis cogitandi facilitas, elegans ornatus, ac in univerſum ſummæ ejuſdem laudes debentur.

Verùm

Verùm hujuſmodi de mente diſquiſitio non modò ad nobiliſſimam hominis partem ſpeciatim pertinet, quo ſolo nomine attentionem mereri poteſt; ſed & ad medicinam etiam corporis ſummè excolendam utiliſſima eſt. Vix enim medentis eſt curioſiſſimè fabrefactum corpus ſolummodo intueri, quatenus ex tubulis ſenſu unicum præter tactum carentibus conſtans, per quos vitales fluere conſuêrunt latices, legéſque motuum iſtorum nôſſe, cauſáſque morborum in hiſce indagare; quamvis neque hoc operis negligere oporteat; aſt ſæpe ultra hæc mentis explorare ſenſa, morborúmque frequenter gravium initia illic deprehendere; cauſáſque pariter inibi ſitas exquirere. Nimirum dolor, cujus origo menti propriè tribuitur, ſopitus eum qui ex corpore proficiſcitur ſubinde lenit; atque hic ipſe dolor interdum mentis dolorem levat. Imò morbus gravis raрò datur, ubi nullum à mente ſymptoma proficiſcitur.

*Morbi mentis ac corporis intertexti.*

Ut verò ſuperiores duntaxat facultates nomine mentis propriè appellantur, ſic ad

*Mentis humanæ cum aliorum animantium facultatibus collatio.*

haſce

haſce ſolas regendas præſens hujuſmodi labor inſtituitur; quatenus nimirum cætera, quæ ad mentem ſpectant, his ipſis ſubjici debent. Reliqua ſanè omnia æquè ad bruta animantia ac homines referuntur; adeò ut non deſint, qui nonnullis eorum ratione inferioris hujuſce præſtantiæ pluſquàm hominibus tribuant. At licèt quædam ex brutis imperfectas mentis humanæ facultatum imagines præ ſe ferant, propiúſve ad eandem accedant, vel ab eâdem etiam longiori intervallo diſtent, nondum tamen conſtitit, huc uſque eadem pervenire, neque arte quâvis vim eorum inſitam ad paritatem promoveri.

*Diſcrimen in parte animi inferiori non ſitum eſt.*

Idcirco autem haud abſonum videtur quærere ubi mentis diſcrimen ſitum eſt; ex quo homo reliqua naturæ dignitate animantia ſuperat; quum quoad corpus ſæpe non longè aliter habeat: Alia etenim ſanguine ſimili fruuntur, cæteríſque pariter laticibus, qui ad vitam ſpectant æquè ad ſenſum. Nónne brutorum quorundam perinde atque hominum ſanguis exardet, ſpiritúque æquè repletur? Nónne itidem perturbantur, irâ excandeſcunt, ac furore

per-

percita ſunt? Nónne mœrent, triſtitiâve ac dolore afficiuntur? Nónne metuunt, atque etiam blandiuntur? Nónne itidem læta videmus, atque audimus voces gaudentium tollentia? (*a*) Quod quidem adeò patet, ut antiqui illi fabularum artifices affectus animi primùm transferri ex brutis in

---

(*a*) Cùm pecudes mutæ, cùm denique ſecla ferarum
Diſſimiles ſoleant voces variáſque ciere
Cùm metus, aut dolor eſt, & cùm jam gaudia gliſcunt.
Quippe etenim id licet è rebus cognoſcere apertis.
Inritata canum cùm primùm magna Moloſsûm
Mollia ricta fremunt, duros nudantia dentes:
Longè alio ſonitu rabie diſtracta minantur;
Et cùm jam latrant, & vocibus omnia complent.
At catulos blandè cùm linguâ lambere tentant,
Aut ubi eos jactant pedibus, morſúque petentes,
Suſpenſis teneros imitantur dentibus hauſtus:
Longè alio pacto gannitu vocis adulant;
Et cùm deſerti baubantur in ædibus, aut cùm
Plorantes fugiunt ſummiſſo corpore plagas.

*Lucret.* Lib. V. Ubi plura ad hanc rem ſpectantia cernere eſt.

homi-

hominem docerent (*a*). Quapropter in inferiore animi parte non quærendum eſt inter eadem atque humanum genus diſcrimen.

*Brutorum interiora à ſe invicem diſcrepant, æquè ac ab eorum nonnullis humana.*

Patet ſanè ex Anatomicis diſquiſitionibus interiora brutorum inſpecta ſæpenumero tantum inter ſe diſcriminari, quantum à quibuſdam ex illis humana. Quiddam itaque altiùs explorandum, quod in humanâ mente reſidet, neque alij cuivis animantium generi cum humano convenit. Idverò non aliud eſſe conſtat, quàm quòd hocce rationis particeps ſit; cujus quidem omnes conſcij ſunt, quotquot hominum ordini adſcripti ſunt.

*Diſcrimen eorum ratio.*

Rationem autem ipſam plures participant homines ſecundum eminentiorem gradum, adeò ut omnes videant agnoſcántque.

(*a*) *Hor.* Lib. I. Od. 16.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Deſectam, & inſani leonis
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro.

Ad quem locum annotat Scholiaſtes vetus; *Timorem à lepore poſuit, à vulpe aſtutiam, à lupo rapacitatem, & ex reliquis reliqua; unde intelligitur, nihil gravius eſſe homine.*

que.

que. Sunt interim nonnulli, de quibus idipſum non ita conſtat; ijdémque vel ab ipſis natalibus eodem ritu ſe habuêre; vel hoc ipſum munus caſu quodam perdiderunt. Hi quidem in ipſo naturæ humanæ limine conſtituuntur; de quibus ambigitur, utrùm inter homines abſolutos jure merito recenſeri queant. De hiſce tamen medicum oportet, ſi quis conſulat, reſpondere; ideóque ad artem pertinet in rationis radices fontéſve inquirere. Proximo ſupra hoſce ordine ſiti ſunt, quibus per periodos ratio recurrit, deſerítque rurſus ad ſtata tempora; qui ſaltem ad lunæ varias phaſes vulgò aut inſanire aut ad ſanam redire mentem crediti fuerunt. Verùm etiam plures ſanorum ſunt ordines; attamen cæteros nonnulli anteire videntur, vel propter ipſa naturæ munera, vel etiam ea, quæ ex educatione ac cultu proveniunt.

*Quatenus hanc participant dignoſcere medici eſt.*

Omnes igitur hominum claſſes dignoſcere, & ad qualem quiſque pertingat, eatenus medici eſt, quatenus mentis ſanioris integritatem varióſque ejuſdem gradus accuratè tenere nemo ritè poteſt, qui non ex Medicinæ fontibus hanc ſcientiam haurit. Ac proinde hæc omnia ejuſdem profeſſionis ſunt,

ſunt, quibus reciſis iſthæc foret mutila, ac quorum cognitionem utiliſſimam ex principijs ejus ſolis depromere fas ſit.

*Diſtributio affectuum ſecundum facultates.*

Hiſce ergo de cauſis varia mentis opera proprijs ipſius facultatibus, quas exerceri quotidie omnes cernimus, tribuere curæ erit; non ſolùm eâ ratione ut ſingulatim clarè exponantur, atque ex omni parte perſpiciantur, prout à naturâ ordinantur; verùm etiam propterea quòd organa earundem diverſa eſſe ex ipſis affectibus palàm fiat. Hinc autem obſervare liceat, quare ijdem homines ſimilibus afficiuntur, quoniam affectus congeneres ſunt, organáque ſibi mutuò connectuntur; & cur alij diverſimodè, quum diverſa ijs organa pati liqueat.

*Morborum nerveorum diſcriminatio.*

Quoniam interim omnia ejuſmodi organa generis nervoſi ſunt, omnes eorundem morbi huc eo nomine referri videntur; quantumvis alij propiùs morbos corporis accedant, alij etiam ab hiſce longiùs remoti conſpiciantur. Atque ita facultatis locomotricis affectus tanquam in medio ſiti naturam horum atque illorum participant. Qui verò ſtrictè ſenſum afficiunt, hi nervorum morbi dicuntur; atque inter ipſos diſcri-

diſcrimen notatur, eorum nimirum quos internæ ſuperioréſque mentis facultates patiuntur, de quibus ſolis nunc diſſeritur; dein quos animus quidem intus patitur, aſt qui ordine naturæ inferiore conſtituuntur, utpote quales ab hiſce ſuperioribus flecti regíque poſſint; ac poſtremò, quibus ſenſus exteriores afficiuntur.

*Scribendi cauſa.* Ex quo autem hæc de mente diſquiſitio oſtendere viſa eſt, hoc ipſum, quod ſolum medicinam facientes per innumeras cujuſque naturæ ambages inſtar gubernaculi regit, ad mentem illiúſque facultates ac dotes adeò pertinere, ut, niſi haſce jugiter intueantur, earúmque indicia expendant, in morbis dignoſcendis eventibúſque prænoſcendis cum ratione pergere non liceat, nedum remedijs adhibendis, quæ ægris peculiariter ſubveniant, iíſque omnibus conſilijs inſtituendis, quibus ſanitati reſtituere, vel valetudinem quæ ſingulis conveniat naturis tueri fas ſit, occaſio quærendi hinc nata fuit, utrùm tale argumenti genus arti huic medendi eò uſque utilis tam accuratè atque apertè enarratum ubivis ſcriptorum legere eſſet, ut opera eidem inſumta ſupervacua foret. At verò fatendum me huc uſque non

non tam felicem fuiſſe, ut autori medico occurrerem, qui hujuſmodi quæſitis perſpicuè reſponſa ederet, & qui mentis imperium, quòuſque proferre licuit, ſtatueret, vel etiam viam panderet, quam pòſt nati tererent, ad ejuſdem naturam quatenus ad medicinam ſpectat, atque affectus elucidandum. Plures quidem videmus, qui organorum fabricam & ſitum inveſtigatione laudatiſſimâ oculis ſubjecerunt, eorúmque figuras ad amuſſim delineârunt. Varia tamen horum ſenſa, varios uſus, variúmque morem ex ipſis perdiſcere vix licebat. Ideóque quod ad illam Anatomes partem ſpectat, ij ad eorum opera relegandi ſunt, quotquot mente complecti velint, quî ſyſtema nervoſum cultro anatomico denudatum viſibus objiciatur. Quin & non levis hæc cauſa operis impræſentiarum publici juris faciendi accedit, quòd morbi generis nervei invaleſcunt, uti nuperus autor (*a*) doctiſſimus annotavit, cujus judicium hîc loci laudare liceat; *Credo equidem magnam hominum partem [egeſtate &] animi demiſſione oppreſſam è vivis excedere.*

(*a*) In libro inſcripto, Religio Naturæ delineata.

DE

# MEDICINA MENTIS.

## Cap. I.

### *Mentis Natura.*

*Ratio diſtribuendi facultates.*

FACULTATES hominum aut ad vitam ipſorum aut ad ſenſum & intelligentiam ſpectant; quarum priores quidem corpori, poſteriores verò menti tribuuntur. Qualis earundem diſtributio non eâ ratione intelligitur, quaſi mens ad iſtiuſmodi munia organis corporeis minimè utatur, ſed quatenus primaria ipſius

organa peculiares obtinent dotes, quibus cæteræ corporis partes deſtituuntur. Mentis proinde facultates illis, quæ corporis ſunt, imperare aut ſervire poſſunt, vitámque validiùs vel languidiùs afficere, pro naturæ cujuſque vividiore vel torpidiore ſenſu. Quin & alij inſuper hâc, alij aliâ facultate præpollent; nec uno omnes ſenſu, nec uno ſentiendi modo. Cujus notiſſimum exhibent exemplum, qui muſicos tibiarum fidiúmve ſonos cantionéſque depereunt; quibus auditis, alij aliorum ſenſuum dotibus eximiè adornati vix aut ſaltem leviter tanguntur. Ac præterea hoſce exquiſitâ aurium fide, quod ad alia pertinet, frequenter nullatenus carere exinde conſtat; quoniam ijdem ſermonis numeros orationúmque ac carminum, ubi animus res ſemetipſo dignas, vocibúſque feliciter junctas perſentit, non ſine avidâ quâdam voluptate hauriunt.

*Affectus varij corporis & mentis.*

Talis autem mentis natura eſt, qualis affici ab ijs queat, quæ corpus haud tangunt; at verò, quæ dulcedine aut moleſtiâ tangunt, mens dum attendit ſentiat: Nec tamen ijſdem, quibus corpus, perpetuò affectibus laborat. Imò & nonnunquam quæ dolorem ex corporis læſione pariunt, iſthæc

mentem

mentem levant juvántque: Sicut etiam quæ corpus valenter alunt roborántve, mentem interdum prægravant. Quo ſit, ut vigor mentis non ſequatur corporis robur; nec cibi athletici exercitationéſque, quales ad ſanitatis faſtigium perducunt, ad mentis pariter robur utiles deprehendantur. Id quod Pittaci (*a*) illius ſapientis exemplo illuſtrari poteſt, qui, ſingulari certamine cum Phrynone (*b*) Olympionice inſtituto, uti maluit conſilio quàm apertâ vi, utpote qualis adverſarij robur ſatis Pancratio probatum eſſet; ac proinde reti occultè ſub ſcuto allato athletam impedivit.

*Secundà corporis valetudo menti ſæpè incommoda.*

Et conſtat quidem ſecundam corporis valetudinem non perpetuò menti bona afferre; quin imò frequenter exinde oboriuntur

---

(*a*) *Pittacus*, qui ſeptem ſapientibus apud Græcos adſcriptus eſt, *quum de agri Achillitidis poſſeſſione inter Athenienſes & Mitylenæos armis decerneretur, imperator ipſe exercitûs cum Phrynone Athenienſium duce, qui & Pancratiaſtes & Olympionices fuerat, ſingulari certamine pugnare inſtituit. Rete igitur clypeo tegens Phrynonem eo, dum non cavet, involvit; ipſóque peremto agrum ſervavit.* Laërt. in vitâ Pittaci.

(*b*) Olympiade xxxv.

velut nebulæ, unde hujuſce oculi caligant, atque ipſa à vero rerum ſenſu eoùſque aberrat, ut propè adſit periculum amittendi imperium, ipſiúſque facultates imminuendi, ſi non penitus extinguendi. Quî interdum evenit, ut corpus demum pro conſorte honorum, qui menti habentur, ipſi fiat dedecus, nec immeritò ipſius carcer videri poſſit. Quo cognito antiquiſſimi philoſophi homines in belluas immundas aliáque inferioris ordinis animantia transformandi vires corpori bene paſto ac ſaginato tribuerunt. Quapropter in pervetuſtâ illâ diſciplinâ, in quâ migratio animæ humanæ in cætera animantia perhibetur, pæna ijs intentatur, qui habenas corporibus laxârint, & hiſce quod volupe eſſet permiſerint; ut ſcilicet in ea animantium genera detruderentur, quorum ſimilia homines ſtudia referrent. Huc pertinet dicterium illud Socratis apud (*c*) Xenophontem memoratum,

---

(*c*) Οἴεσθαι δ' οὖν ἔφη [ὁ Σωκράτης] ἐπισκώπτων, καὶ τὴν Κίρκην ὗς ποιεῖν τοιούτοις πολλοῖς δειπνίζουσαν· τὸν δὲ Ὀδυσσέα Ἑρμοῦ τε ὑποθημοσύνῃ καὶ αὐτὸν ἐγκρατῆ ὄντα, καὶ ἀποσχόμενον τὸ ὑπὲρ τὸν καιρὸν τῶν τοιούτων ἅπτεσθαι, διὰ ταῦτα οὐ γενέσθαι ὗν. Ἀπομνημ. Βιβλ. Α΄.

qui

qui Circen hujuſmodi ſociorum Ulyſſis vulgus apud ſe cœnans ſues reddere aiebat, at Ulyſſem ipſum Mercurio ſuggerente, cùm ſibi temperantem, tum ſeſe abſtinentem ab importunâ ciborum potionúmque ingeſtione propterea ſuem non fieri. Quoniam verò vinum inter potiones, quæ corpus excitant ad imperium mentis turbandum, præcipua recenſeretur, ideo Mineïades ſolæ Minervæ, ſapientiæ ac bonarum artium Deæ cultrices, Bacchi ſacra non accipienda, Ovidio (*d*) referente, cenſuerunt.

*Dolor non ſemper menti incommodus.*

Quin & ſæpe dolor, qui læſo corpore ſentiatur, utcunque acutus ſit, ſi non longiùs, ultra quod facile ferat natura, procedat aut diutius inſideat, nonnihil licèt roboris deceſſerit, mentis viribus minimè officit; imò & haſce debilitatas reſtituere, vel antea languentes erigere atque adaugere conſuevit. Quemadmodum ex inediâ dolor ideo

(*d*) Metam. l. iv. Hujuſce rei cauſâ Poëta ille Bacchi natalitia & colendi ritus per plures libros perſequitur. Ubi ſanè hiſtoriam ſecundum fabulas tradit adinveniendi uſum vini, vitémque de Oriente in Europæ regiones transferendi.

à naturâ inſeri videtur, ut ingenium acuat, détque ſolertiam ac dexteritatem ad ea omnia adipiſcenda utilem, quibus ad vivendum opus eſt.

*Sedes ſenſûs, & modi diverſi.*

Interea reliquæ corporis partes, ſi excipias nervorum ſyſtema, ſenſûs minimè participes ſunt, quibus tamen ope nervorum ſentiendi facultates diſtribuuntur. Faciunt quippe fibræ nerveæ ſubtiliſſimæ integro corpori intextæ, pérque varias ejuſdem partes tranſductæ, ut iſthoc totum perſentiſcere videatur. Is verò ſenſus acutior vel hebetior eſt, pro cujuſque naturâ & pro variâ methodo, quâ percipiendis rebus debiliùs aut fortiùs mens aſſuefacta fuerit. Iſque pariter ſeu capacior ſive anguſtior eſt non modò propter naturam, verùm & pro more qui per educandi genus introducitur, quíque habitum quendam plura ſimul complectendi quaſi de novo creet; cujus demum longo ac perpetuo uſu mos ille ſuperadditus firmatur, faciliſque redditur.

*Mentis facultates, ſenſus ſimplex, judex, memoria, earúmque dotes.*

Quod autem attinet ad mentis facultates, prima recenſetur ſimplex præſentis rei ſenſus, qui ſanè alijs magis alijs minùs viget: De quo dein ſenſu facultas judex ſententiam fert;

fert; quod quidem judicium, qualecunque illud ſit, memoriæ cuſtodiendum committitur. Hæc verò detinere arctiùs vel laxiùs conſuevit pro rei momento, ac prout dijudicatur tanquam aliquid ſingulare raróque occurrens, vel tanquam tritum ac quotidianum, quódque ideo vix attentionem excitat, nedum recordationem meretur. Unde evenit, ut quanto plura pauciorâve retinere valet memoria, tanto majorem minorémve rerum copiam ſufficiat, quandocunque opus eſt aut examen de ſingulis inſtituere, aut etiam hæc ſingula unà conferre, quo pacto diſcernatur, quali ratione ad ſe invicem habent. Propterea memoria non modò rebus magni momenti ditatur, aut vilibus nullo diſcrimine oneratur, pro judicis facultatis diſerto ac felici ſingulas dirimendi habitu, aut pro ipſius vago vel vacillanti ingenio, & inepto decreta ſua condendi & diſponendi more; ſed & expreſſiùs ac diſtinctiùs primò imagines capere, ac dein pro debilitate vel firmitate ſuâ magis minúſve integras eaſdem conſervare poteſt.

Verùm aliqua videtur facultas, quæ inter judicem & reminiſcentiam intercedit; qualis *Imaginationis uſus & dotes.*

lis ſanè plurimum confert cùm ad delineandas tum etiam imprimendas memoriæ haſce imagines; adeò ut faciliùs retineri queant, eóque modo ſalvæ præſtari, quò in promtu adſint exhibendæ, quamprimùm uti libet. Ea certè imaginatio eſt, quæ, quò plus polleat floreátve, eò fortiùs imperat cùm facultati judicandi tum etiam reminiſcendi. Quippe quæ tam vividè interdum rerum faciem depingit; interdum illarum eòuſque ſimiles effingit imagines, quas pro ipſis oſtendit obtrudítque, ut vix judici libertas relinquatur. Quæ dein facultas, violentis quaſi procellis affectuum ab imaginatione ſuſcitatis correpta, eas mox amplectitur, quales ſibimet ab ipsâ objiciuntur, non quales reverâ cognoſcuntur.

*Diſcendi modus.* Illud autem univerſum ex diſcendi modo eluceſcere videtur; nempe ſonos primùm ſimplices, quales ſignis vocalibus tribuuntur, ſentiunt aures, qui molliùs & leviùs vel aſperiùs & graviùs eaſdem feriunt pro variâ organorum fabricâ, nervorúmque auditoriorum temperie ac tono. Accedit dein ſonorum à ſe invicem dijudicatio; eóſque ſingulos juxta hanc diſtributos habet memoria. Interea quanti ſit hoſce dignoſcere,

cere, qui tanquam artibus fundamenta ſubſternuntur, quotidie diſcentibus traditur ; ac proinde eoſdem repetendo, cæteráque ijs elementa adjungendo, quæ novitate ſuâ attentionem excitant, principijs diſciplinarum ijdem ſe imbuunt. Quæ eâ tandem promtitudine in mentem revocantur, ut ſæpius ſponte ſuâ emanare, potiùs quam cogi videantur. Veruntamen poſt hæc initia, quæ aſſiduè recolendo memoriæ affiguntur, nonnulla ſingularia ſunt, raróque occurrunt, qualia jam tum fortiùs animum curâ indagandi penitúſque cognoſcendi acuunt. Deinde plura ejuſmodi complectitur memoria, varióſque ſimplicium ſonorum ad ſe invicem habitus, quandocunque artis Muſicæ elementa diſcenda ſunt. Hinc quanto copioſiùs ſonos eorundémve tonos depromere diſcipulus valet, tanto faciliùs conferre, tanto diſtinctiùs ſingulos ſingulorúmque rationes internoſcere poterit. Et ne tandem ſonorum multitudine memoria laboret, eos ſolos retinere atque diſponere opus eſt, qui cæteris præſtantiores dijudicati fuerint ; quod ſanè abſque certo ordine fieri vix poteſt : Cujus quidem virtus imaginationi ferè debetur, quæ ſonos numeris aptè muſicis auditos jungit,

jungit, adeóque eoſdem modulatur, ut aures eruditas ſuaviter mulceant; quorum dein obliviſci ægrè licet. Propterea verò numeroſa hæc ſonorum modulatio cum tantâ ſubinde voluptate exhibetur, ut facultatem judicem captam abducat. Id quod maximè efficit vis imaginandi, quum auxilia cæterorum ſenſuum, ac præſertim oculorum adhibeat; uti quando ſignis ipſos coràm ſonos delineat, quæ dein ſigna tenaciter eoſdem memoriæ imprimunt; ac ſæpe conjunctæ hæ vires fortiùs animos irritant, ut æquam ſervare mentem arduum ſit. Unde demum accidit, ut ad partes à vero alienas nonnunquam judex inclinetur.

*Obſequium facultatum imperatrici.* Enimvero mentis natura bene habere nequit, niſi omnes ejus facultates principi auſcultent, nec omnino ei vim inferant, impediántve ne rerum ſpecies ſinceræ, prout nudæ à rebus imprimuntur, eidem offerantur: Ac dein niſi ſententiæ, quales maturè non verò præproperè feruntur, in memoriâ cuſtodiendæ reponantur. Quo in negotio imaginandi vis juſſis principis obediens, memoriæ præſentiſſimum utiliſſimúmque auxilium ſubminiſtrare, quin & ejuſdem nutu eas vel ſingulatim aut etiam conjunctim proferre

proferre valet, ſiquando haſce inſpiciendi aut alijs cognoſcendas ſubjiciendi conſilium inſtituatur.

Hinc maxima oritur diverſitas, prout facultates ſingulæ magis minúſve vigent, ac prout ſua quæque auxilia judici ſuppeditant; unde in hoc vel illud judicium propendet; utrùm id fiat propter infirmitatem, vel quòd opinione aliquâ occupentur, cujus momentum præponderat. Quemadmodum vox ſupra modum elata ſurdaſtro necnon ruſtico grata eſt, à quâ tamen aures delicatæ violantur. Varia hinc & harum atque illorum de eâdem judicia; quippe ſoni vehementia ſurdaſtri aures non alio prorſus ritu ferit, quàm quo ſubmiſſa vox bene ſanas conſuevit; quì fit ut clarè eundem audiat, nec graviter ferat. Ruſticus tametſi auditus ipſi pariter atque urbano vigeat, clamorem tamen in ſylvis cum gaudio tollere aſſuetus, altam in delicijs vocem habet. *Diverſitas ex vario ſenſu vel præoccupatione.*

Profectò ea mentis conditio admiratione digniſſima eſt, cujus variæ facultates munijs quæque ſuis rite funguntur; ubi nec ulla inter ſe repugnantia eximias ſingularum dotes irritas reddit. Quibus ſanè nominibus *Mentis optima conditio.*

nibus refert (*e*) *inſtrumentum, ſiquod dari poſſit, muſicum, quod omnes ſimul harmonias conjungeret, cujus voces omnes inter ſe convenirent.* Quod quidem organum, etiamſi curioſiſſimè fabrefactum, niſi docto muſici imperio promtè omnes parerent partes, auribus prorſus foret illaudatum.

(*e*) Μαξ. Τυρ. Λόγ. ις. Εἰ ξυνίης παναρμόνιόν τι ὄργανον, παντοδαπὰς μὲν φωνὰς, πᾶσας δὲ ἀλλήλαις ὡμολογημένας.

CHAP.

## C A P. II.

### *De valetudine, ubi mens præcipue corpori imperat.*

UT acumen mentis vigeat, ac ſentiendi facultas integerrima ſit, non opus eſt valetudine firmiſſimâ, verùm tali, qualis ad labores mentis perferendos idonea evadat. Hæc autem exercitationibus aſſiduis, quas corporis conditio robuſta poſtulat, minimè gaudet, imò nec cibis potionibúſque valentiſſimæ materiæ; at ijs ſolis contenta eſt, quæ faciunt, ne malè ſit corporis functionibus, atque ut miniſtrantes utiléſque ejuſdem partes promtæ & habiles emineant, dum ſibi à facultate imperatrice mandata exequuntur. *Valetudo non firmiſſima.*

Id verò præſertim accidere ſolet, dum corpus potiùs tenue quàm obeſum eſt; quod *In quali corpore.*

quod miti atque æquali temperamento ornatur, quàm in quod acre aut calidum dominatur; ubi tamen ingenium non tam frigidè placidum, cereum aut ductile repertum fuit, ut dolere, ut commoveri, ut obſiſtere neſciat, maximè ſiquando ratio repugnat, aliúdque ſuadet: Ubi itidem vultus conſtans, tranquillus ac ſerenus; non levis, perturbatus aut caliginoſus: Qui propiùs ad palleſcentem quàm rubicundum, flavúmve aut atrum accedit colorem: Ubi denique oculi erecti, intenti, vividè & placidè micantes; non relaxati, ſegnéſve, truculenti aut ferociter vagi apparent.

*Valetudo menti commodiſſima.* Valetudo quidem menti commodiſſima eſt; quæ nec tantam alimentorum copiam flagitat, quanta calorem nimis intenſum exuſcitet, eadémque citiſſimè confecta diſtribuat; neque qualis ingeſta coquere intra debitos temporis terminos haud valens, tenacem morâ pituitam contrahat.

*Infenſa pituita.* Hæc quippe flatuum parens inimicior præſertim mentis imperio eſt; quoniam ijſdem opportunum corpus non expeditè juſſis paret; illa verò exæſtuans præproperè rapit, atque ad feſtinationem incitando res menti oblatas,

oblatas, priuſquam ſatis contemplari ac perpendere liceat, præcipites abigit.

Eſt etiam ubi nervis infirmitas adſit, dum corpori malus dominatur habitus; qui ideo tollendus, ut agilis ſit natura atque expedita, oneréque ſupervacaneorum levetur. Quale quidem accidit, quum ſanguis lentore afficiatur, aut viſcera nobiliora obſtruantur; utpote quæ nervis ſæpenumero officiunt. *Item malus habitus.*

Nempe ſub eâ corporis præſertim conditione mens optimè munere ſuo fungitur, quæ alacritatem animi mediocrem ſuppeditare queat, non verò ſummam profuſiſſimámve; quoniam natura, quæ facillimè ad lætitiam ſolutam altiſſimámque nunc effertur, nunc & in mœrorem imum deprimi ſolet; atque ita nec eòuſque æquabilis evadit, ut mentis nutui ſponte ſuâ auſcultet. *Commoda alacritas temperata.*

Profectò huic imperio omnia prorſus adverſantur, quæ nimiùm agitant; ſintne animi affectus, qui fluctuum ad inſtar jactantes in temporariam quandam adigunt inſaniam, vel jactatio alia inquieta, quæ ex negotioſâ actione proficiſcitur. Illi quidem frequenter *Quâ ratione commodi animi affectus, & negotia.*

ter corripientes ſubitò mentem agunt præcipitem, at eandem ſerenam quoque relinquunt, ſiquando ipſi ultro ſubſidant, aut fortis viribus pectoris domiti fuerint: Hæc verò ſi modum non excedat, & mole negotiorum depreſſas mentis facultates minimè obruat, haſce variâ ac non infauſtâ rerum moleſtarum experientiâ auget, ipſiúſque demum mentis imperium ſtabilit.

*Valetudo continua vel interrupta.*

Gradus proinde genúſque valetudinis, ubi æquam ſervare mentem arduis in rebus licet, priùs expetendum; ſcilicet conſtans nec interrupta mentis ſanitas: Proximos tamen honores occupant, qui ad ſaniorem redeunt mentem ex animi perturbationibus, quíque impeditas negotiorum ſolicitudines tandem perrumpentes, mentis auctoritatem ſibi ſtabiliorem deprehenderint; quæ non tam infeſta rerum diſcrimina ſenſura eſt, neque tam graviter prementia, quin immota ſede ſuâ manere poterit.

*Continua rarior.*

Interea prior ea conſtans ac perpetua mentis ſanitas tam rarò obſervatur, ut Poëta ille Græcus vix niſi ſub perſonâ ſenis Neſtoris eandem deſcribat; quaſi nimirum ad ætatem potiùs grandem quàm adhuc vigentem

gentem pertineret. Nec ſanè à Naturâ aberrat, dum longævum eundem tali temperamento præditum, moribus haud ingratis, dulcium ſermonum pariter atque conſiliorum utilium autorem celebrat.

Semita verò, quæ per animi perturbationes ad tranquilliorem mentis conditionem ducit, magis quidem videtur trita; quà tamen non ſine victoriæ reportatæ laude tranſitur. Præclaræ quippe mentis eſt naturæ inæqualis propenſionem ſuperare, eandémque imperio regere potuiſſe. Nec minùs certè mentis robur indicat negotioſam perpetuò actionem ſuſtinere poſſe, præcipuè ſi nec acies ejuſdem exinde retuſa fuerit. *Interruptâ frequentior.*

Veruntamen indoles ea mentis præſtantior videtur, qualis ſecundâ jugiter uſa fuit fortunâ, neque eâdem corrumpi potuit. Periclitatur nempe ipſa graviùs, quæ à pueritiâ rebus proſperis, ijsdémque quæ haſce comitantur blanditijs innutrita fuit, quàm quæ adverſis pectus fortiter opponere aſſuevit. *Indoles præſtantior.*

*Res adverſæ commodæ.*

Quod attinet autem ad bonam hominum partem mens corpori adhuc vigenti non tantum imperat, quantum poſt res adverſas ſæpius tentatas non ſine impari congreſſu, attamen ex quo diligentia ultimùm victrix evaſit. Neque alia videtur cauſa, cur naturis quibuſdam mentis imperium non tam clarè eluceat; ſiquidem eæ fortè ſunt, quibus ſecunda obtigit valetudo, & quibus fortuna favens non niſi ſpecioſam rerum faciem exhibuit, ac minimè in palæſtrâ ſuâ exercuit. Quî dein accidit, ut inhabiles ad luctandum fiant, ſiqua cauſa offeratur, nec minùs ad depellenda quàm prævidenda mala valentes. Unde fortunati iſtiuſmodi homines alijs frequentiùs inutiles videntur. Nec raró evenit, ut ſi longævi evaſerint, terræ pondus velut incommodum cenſeri ijſdem contingat. Quâ de causâ illud hominibus felix fauſtúmque prædicatur, ut priore vitæ ſtadio malis obſideantur; ne mens ſeró cum difficilibus congreſſura ſit, qualia plerique alij devicerint, ídque poſtquam tempora experiendi jam præterierint. Hinc interim conſtat, cur animoſi juvenes ſæpius ad bonam frugem perducti fuerint, qui in perpetuâ cum rebus

bus adverſis luctâ verſati, maláque crebrò experti ex hoc tanquam gymnaſio eruditi certò prodeunt, niſi fortè ad majora à naturâ haud omnino comparati fuerint.

Quam planè rem Græci veteres in hiſtoriâ Ajacis Telamonij atque Ulyſſis illuſtrârunt: Quorum ille notus corporis robore; hic mentis præſtantiâ. Utriuſque hujus perſonæ dotes Ovidius * peculiares cecinit. Ubi quidem advertere obiter liceat, quòd Poëta munus illud Palladis abripiendi gloriam Ulyſſi ſapientiâ inſigni non ſine ſale tribuit, ſine quo civitas nec initio condi, neque diu conſtare nedum florere poſſit. Poſtea quando tandem Ulyſſi Achillea arma decreta fuiſſent, ſubjicit laudatus autor, Ajacem cætera invictum iram dolorémque ſuſtinere non potuiſſe. Quæ quidem pervulgata liceat obſervatione claudere, Ajacem ſcilicet eòuſque excanduiſſe, ut ipſius ad inſaniam adacti furor argumentum nobile Tragœdiæ Sophocleæ præberet. *Exempla Ajacis, & Ulyſſis.*

* Metam. L. xiii.

*Exemplum Alexandri.* Rectè igitur faciunt illi, quod & ſecundum naturam fieri conſuevit, qui præclara à talibus exempla deſumunt, quales primùm rebus exerciti adverſis fuerant. Secus etiamſi gloria parentum in filios traducta, opibus amicíſque ipſorum freta, ingentibus perpetuò geſtis effulſerit; attamen ea nubibus præmaturè obducta, & non rarò vigente adhuc ætate penitus extincta fuit. Quale Alexandro illi magno contigit, qui poſtquam Philippi patris copijs militibúſque veteranis ſuper Perſas & Indos imperium protulerat, mediâ ætate furore correptus nomen non niſi inſanis affectandum reliquit.

*Aliud oppoſitum.* Quanto verò feliciùs humano generi ceſſit heros ille ſeculi noſtri decus? Cui infirmo corpore, mente altiſſimâ, innumeris obſeſſa erat adverſis juventa; quíque ſic exercitus libertatis patriæ ſuæ Britanniarúmque vindex eſſe auſus eſt; ac non modò ipſas ab injurijs, verùm & nomen ſuum laudéſque ab oblivione aſſeruit. Neque profectò illuſtrius ubivis hiſtoriarum exemplum proditum eſt, in quo cùm valetudo corporis adeò

adeò incommoda cerneretur, tùm integerrimæ mentis vigor acutiſſimus per totum vitæ laborioſiſſimæ ac utiliſſimæ ſpatium emineret, quàm quod ſacrum Gulielmi nomen exhibuit.

## Cap. III.

### *De organis, quibus mens corpori imperat.*

*Nervorum ſyſtema.*

NERVORUM fibræ in omnes corporis partes diſtributæ, dum eædem integræ manent, dúmque tonus ſervatur aptus, organa videntur, quibus mens ad ſentiendum utitur: At ſi ſanguis eaſdem non perfluat, ſenſus etiam harum cum vitâ tollitur. Unde idipſum ſentiendi facultatem afficit, quo ad vivendum opus eſt. Attamen quod ſenſum hebetat, motúmve inhibet, non ſtatim vitam partium extinguere potis eſt. Proinde partibus vivis eſſe licet, quibus obſcurus ſaltem ſenſus motúſve eſt; ideóque hiſce mens vix, aut languidè ſaltem, imperat.

Mente interim ſanâ corpore itidem ſano, quæcunque mens indicat per eadem ſentiendi organa ad ſingula membra deferuntur: Neque tamen mentis mandata membris exequi licet, ultra quod à nervis accipiunt. Quapropter muſculi eòuſque ſolùm moventur, quatenus nervorum, quibus conſtringuntur, actione ad illud valent; ac ſi nervi deficiunt, eatenus movendi poteſtate privantur. Exinde pariter evenit, ut muſculi omnéſque partes, quæ corpori movendo inſerviunt, quadantenus haberi organa mentis queant. Quo fit, ut in nonnullis, quibus vis major eſt, non modò facultas locomotrix, ſed & interiora viſcerum organa, facultáſque cujus actiones * Naturales nominantur, menti obediat. Unde huic imprimis vis impreſſa quoſdam letho dedit. Interdum etiam pari jure ſanguinis rivos afficit, adeò ut latex ipſe mente ſubitò commotâ in grumos abeat, ubi cauſæ † evidentes ſaltem nullæ innotuerint. Hinc & in febres interdum præcipites agit; quarum

*Qui primaria ſunt organa.*

* Vide Celſ. in Præfatione.

† Ibid. paulò ſuperiùs.

dein ſymptomata originem ſuam altiùs quàm ab humoribus corporis deducunt: Imò nec ab eorundem legibus pendent, neque ad normam reliquarum febrium, quales proximè accedere videntur, tolli conſuêrunt.

*Eorum affectus morbos cæteros imitantur.* Hinc etiam æmulatio illa affectuum nerveorum, quæ ubivis ferè morborum conſpicitur; quum vix unus detur, qui imaginem ſuam in nervoſo genere non agnoſcit. Nempe omnia mala perinde ac bona in mentis quaſi ſpeculum relata, illinc in corporis partes repercuti videntur. Quinimo & ſimilitudo tanta nerveorum cum cæteris affectibus ſe habet, ut non cujuſvis ſit hoſce ab illis protinus dignoſcere. Eſt etiam ubi intertexuntur, & miras naturæ turbas excitant nervei cæteris ſuperadditi, ut vix liqueat niſi attentè conſideranti, quale expetit natura auxilium, dum indices diverſa monent; quaſi ſcilicet natura vellet contraria & ſibi repugnantia, aut certè ipſa in eodem homine duplex videretur. Omnia autem iſthæc ejuſmodi fiunt, quoniam mens toti ferè corpori, illiúſque legibus ac naturæ dominari, omniáque nervorum operâ ſentientia ſibimet ſubjicere conſuevit.

Cæterùm

Cæterùm nonnullæ corporis partes ſenſu pleniori acutiorique, nonnullæ exiliori atque hebetiori donantur: Quod quidem interdum evenit propter raritatem aut frequentiam fibrarum inibi nervearum, quarum plexus alibi apparent, alibi verò ipſæ non tam propè ſitæ videntur: Interdum etiam propter earundem intentionem vel remiſſionem. Quibus itidem cauſis ſanguinis viſcoſioris & depauperati vitium accedit. *Senſus partium varius.*

Præterea organa alibi ad hanc, alibi ad illam pertinent facultatem; cujus videlicet exemplum in hiſce, quæ ad judicem rationéſque colligentem peculiari quodam jure ſpectant; quaſi mentis ipſa illic ſedes ſtabiliatur. Id quod in phrenitide videmus, quando fomes morbi deliteſcens ægrotos mente moveat, quo demum ſublato ad ſe redeunt. *Sedes organorum variæ.*

Itaque organa commodè diſtribui poſſunt pro vario ſentiendi genere ac modo, diverſóque eorum uſu, & partibus quibus miniſtrant. Siquidem aliud genus eſt res intelligentiâ comprehendere, ab eo quod per tactum in extremis partibus ſentimus: Aliud *Diſtributio eorum ex genere.*

ud iterum imagines rerum tanquam intus depictas clauſis aſpicere oculis, quales apertis mox intueri licebat, ab illo quod rationes ex alijs, quarum itidem nullas videre imagines fas eſſet, colligit, & ſagaci ſenſu occulta indagat. Sicuti etiam aliud eſt videre vel audire; aliud de eo quod videtur auditúrve ſententiam ferre; aliud itidem ex viſis auditiſve ad propoſitum ſpectantia deligere; aliud denique ex præſentibus cum ijs, quæ in memoriâ detinentur, collatis, qualia poſthac futura ſunt, prævidere.

*Et modo.* Nec profectò deſunt, in quibus omnes mentis facultates ſuprà deſcriptas tam apertè vigere, quàm ſimplices illas videndi atque audiendi, obſervantibus cernere eſt. Idcirco ex modis tam variè ſentiendi ſuum cuique genus propriè tribuere æquum videtur.

*Ex uſu.* Diverſus præterea eſt organis uſus; ſicut hiſce, quæ vel inanitionis, repletionis aut ſatietatis ſenſu donantur; cujuſmodi ſunt, quibus fames & ſitis, aut faſtidium nauſeáve ſentiuntur. Qui ſanè ſenſus duplex notari poteſt; primarius, qualem hi nervi

com-

communem cum omnibus cæteris obtinent; veluti, quando aliquid lædat, ſtatim irritati illud à ſe excutere nituntur; & dein ſecundarius, qualis ipſis peculiaris videtur. Exemplum prioris in crapulâ cernitur, ubi etiamſi cibi potionéſque non diſpliceant, nimia tamen copia ingeſta oneris ſenſum apud hos ipſos parit, unde & rejicere conantur; poſterioris verò, ſi quando medicamentum, quod repurget, aſſumatur; cujus ſtimulos, hoſce licet nervos urant, reliqui vix ſentiunt.

Diverſitas porrò naſcitur ex locis, ubi ſita ſunt organa, ipsâque partium fabricâ; quam cernere eſt in hiſce, quæ pertinent ad oculos auréſve, cæteráque illiuſmodi organa, quæ ex admirandâ complurium ſtructurâ oriuntur. Idcirco plura ſentiunt organa aliàs atque aliàs ſita, quorum nonnunquam ſenſa ſibi invicem contraria videntur: Qualem ſæpe videre licet repugnantiam inter hæc, quæ palato, & quæ ventriculo grata ſunt. *Ex ſitu.*

Ex hiſce autem, utcunque quoad præmiſſas rationes diverſa fuerint, nonnulla eòdem collineant; ſicuti organis, quæ ad olfactum *Contrarius ſenſus iiſdem organis, & aliorum aliis.*

factum pertinent, ſcopus propè idem eſt, atque eorum, quæ ad diſtinguendos ſapores apta nata ſunt. Siquidem quæ grata ſunt alimenta dignoſcere tum odore tum ſapore licet. Quod ipſum & munus eſt, poſtquam ingeſta fuerint, ventriculo inſervientibus; quibus frequenter ingrata ſunt, quæ odore ac ſapore oblectârunt. Atque è contrario, qualia & odore inſuavi & ſapore minimè grato donantur, nervorum fibras ad ventriculum ſitas demulcent; cujuſmodi ſunt abſinthia parvulis, quæ Poëta ideo tetra nominat. In hunc modum organa ſibimet opponi videntur, aliáque aliorum impetum inhibere. Quo fit, ut aliorum officium ſit irritare, dum alia penes ſit reprimere. Quemadmodum ex nimiâ voluptate languor ſentitur, quoniam irritamenta voluptatum à naturâ appetitui explendo deſtinantur, quo dein ſatiato nil niſi vis poſtea infertur. Eo ſcilicet modo organa ad ventriculum ſita, quæ voluptatem uſque ad ſatietatem perceperant, exinde nauſeant.

*Ratio averſationis.* Atque ita dum hic nauſeandi ſenſus in mentem revocatur, prohibetur abhinc appetitus. Quî frequenter evenit, ut à crapulâ idem alimenti genus, ex quo quivis incom-

incommodum ſenſerit, ingratum per longum temporis ſpatium videatur. Hinc ſanè plura alimentorum genera, etiamſi cauſa data non explicitè in memoriâ teneatur, diſplicent. Quâ de re fieri ſolet, ut ea ciborum genera, quæ naturâ ſuâ dulcia ſunt, quibus rariſſimè homines crapulam contrahunt, faſtidium ſui ipſorum, quale quidem diutius duret, vix creent. Imò & alimenta bene multa, à quibus odio quaſi naturali homines refugiunt, iſtiuſmodi olim fuiſſe veri haud abſimile videtur, tametſi jamjam in alteram eòuſque abierint naturam, ut cauſa ejuſdem faſtidij nullum in memoriâ veſtigium reliquerit.

*Lucta ſenſuum contrariorum.*

Quoniam autem experientiâ ſeu noſtri ipſorum ſive alienâ, imò & conſilijs monitiſque innotuit, aliquid ſubeſſe mali, quod tamen appetitus non refugit, quale quidem affixum memoria vividè tenet; hinc oritur oppoſitus in eâdem mente ſenſus; unde ſæpe appetit, quod ſibi ſimul conſcit eſſe incommodum aut ineptum, ac certamen quoddam in ſe concipit dum huc illuc diſtrahatur. Sic Ovidius (*a*) Me-

(*a*) Metam. L. vii.

aman-

deam amantem deſcribit ſecum talia reputantem,

*——————Video meliora probóque,*

*Deteriora ſequor ——————.*

*Ejus remedium educatio.*

Quod quum prudentes vidiſſent, nitebantur homines ſtudijs aſſuefacere appetitui contradicendi, & tanquam frænis cöercendi ope inſtitutionis atque doctrinæ; quò feliciùs mens habenas quaſi tractando imperium corporis occuparet, ac ſæpe in contrarias partes flecteret. Quo tandem pacto vehementiam appetitûs regeret, affectûſque animi inſtantis vim moderaretur. Id ſanè conſtat, quòd in nonnullis hæ velut habenæ fortiores, in alijs laxiores adhiberi ſoleant. Cujus quidem celebris ea Socratis agnitio exemplum præbuit; qui quum à Zopyro ex Phyſiognomiâ omnium libidinoſiſſimus judicatus fuiſſet, quem Phyſiognomum Athenienſes tanquam falſa loquutum deridebant, minimè eum mentitum fuiſſe fatebatur, ſed naturæ vim ſe animi virtute oppreſſiſſe.

C A P.

## Cap. IV.

### *De varia organorum mentis conditione.*

EA mentis organorum conditio eſt, ut interdum voluptate, interdum dolore afficiantur, ac nonnunquam tertium illud inter utrumque adſit, quod indolentia nominatur. Poſtremum autem ad temperamentum æquabile refertur, quod tranquillè ſe habet, nulliſque omnino affectibus perturbatur; & cujus appetitui ita ſatisfactum fuerit, ut in præſens ſaltem tempus nihil moleſtiam pariat. Quo quidem pacto mens imperturbata corpore utitur ſano, neque ulteriora optat, quàm ut non malè ſit functionibus ſive naturalibus, ſeu hiſce quæ placidè & ſine dolore munia ſua obeunt. *Organorum triplex conditio.*

Tali

*Indolentia.* Tali proinde homini jejunus minimè latrat ſtomachus; qui neque nimiâ alimentorum copiâ, eorúmve quæ facultatibus prædita ſunt valentibus, nedum inter ſeſe litigantibus, humoréſque in partes ſuas provocantibus ſeſe replet. Qualis ſanè medius, qui inſtituitur, vitæ decurſus perpetuò ab omni appetentiâ moderandâ ita pendet, ut qui hujuſce legibus obſtringuntur, ut plurimùm in ejuſmodi inclinentur partes abſtinentiæ, ubi parcè ac ſimpliciter, potiùs quàm ſaturitatis, in quâ lautè ac liberaliter variâ confectis materiâ, vivitur.

*Paucis contingens, diverſa à felici tranquillitate.* Verùm iſthàc degere pauciſſimis ſorte datur, quibus nimirum doloris perinde atque voluptatis expertibus eſſe contingit. Quale quidem mortalium genus, quod irâ minimè nec amore tangitur, idipſum neque gaudijs frui poteſt: Siquidem animo frui tranquillo ac placido, dum perturbatione nullâ vehementi commovetur, quoniam ſecundâ utitur fortunâ, proſperáque favent omnia, non eſt indolentia; ſed tam procul ab eâdem abeſt, quantum cœlo ſudo, leni aurâ & nullo ſurgente fluctu tranquillitas diſtat à malaciâ, ubi aquis ſtagnantibus

naves

naves omni vento deſtitutæ ſe ex loco movere non poſſunt. Enimverò illa felicitas eſt, quam Epicurus (*a*) Dijs tribui contendit; hæc doloris abſentia quantumvis quietos, non tamen felices homines reddere potis eſt.

*Voluptas periculoſa.*

Si quando autem voluptatem per organa diffuſam mens percipiat, florem ſummæ ſanitatis in ipſo temporis articulo carpit; ideóque in lubrico verſatur ſecunda ejuſdem valetudo. Hæc quippe voluptas, cui nimis indulgetur, dolorem certò paritura eſt. Neque ſanè dulcem eum ſenſum frequenter fert natura, quem quidem rarior uſus commendat: Nec itidem, modò intenſus ſit, diutius, quin mox in moleſtum abeat. Proinde ut in voluptatem ingenium mentis à rebus arduis aſperíſque proclive eſt, ſedulò

(*a*) Apparet Divûm numen, ſedéſque quietæ:
Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis
Adſpergunt, neque nix acri concreta pruinâ
Cana cadens violat; ſempérque innubilus æther
Integit, & largè diffuſo lumine ridet.
Omnia ſuppeditat porrò natura, neque ulla
Res animi pacem delibrat tempore in ullo.

*Lucret.* L. iii.

ab eâdem cavendum, ne aut gradu modóve, diutino aut etiam frequentiore uſu peccetur.

*Uſus ejus commodus.* Interea ſenſus ille jucundus animos addit, mentem ipſam languentem reficit, corpúſque pariter vegetum ac florens reddit. Neque ſanè habitus integerrimus ſine ejus, quod volupe eſt, uſu intelligitur; quo obtinente, mens ſponte ſuâ munere fungitur, nullo cogente, nullo eidem refragante, imò & non ſine jucunditatis gratiâ, quæ ex quodam quaſi dolore præeunte naſcitur. Quemadmodum ex fame ſitíque moleſtis deſiderijs oritur oblectatio, dum ſapor quidem cibi potioníſque gratus palatum demulcet, ipſa verò deſideria ijsdem levantur.

*Repente tranſit in dolorem.* Quinimo tam facilis fit tranſitus à ſenſu hoc jucundo in moleſtum, ut nec, ubi hic incipit vel ille deſinit, certò præfinire ſit. Quale abunde patet, dum grata palato, grata etiam in præſens ventriculo ingeruntur. Siquis enim ex appetitu dignoſcere velit, ac ſe ſecurum putet, quamdiu plura in lancibus ad variam epularum copiam inſtructis ornatíſque videat, qualia minimè nauſeam creent; næ ille altero illo mole-

ſtiæ

ſtiæ ſenſu, niſi mox ad exercitationes cæteráque profutura auxilia ſe convertat, vix diu cariturus eſt. Siquidem palatum vigente appetitu non minùs fallaciæ obnoxium eſt, quàm quivis alius ſenſus; quippe cui dulcis arridet interdum rei ſapor, quæ tamen ſtomacho forſan tumultum mox excitare queat. Ac dein quò avidiùs talem quis appetat, ejúſque plus capiat, eò certiùs pòſt faſtidio corripietur. Fibræ ſcilicet nerveæ, etiamſi per ventriculum porrectæ pro ſedis ſuæ diverſo munere aliud percipiant ab ijs, quæ palato inſerviunt, voluptate tamen ſuâ cùm hæ tùm illæ trahuntur; atque ita periculum ab utrâque imminet.

Quinetiam conditio generis nervoſi variè ſe habet, pro cujuſque naturâ, imò & diætâ ac conſueto vivendi more; quemadmodum alia prolixam voluptatum ſeriem, aut etiam dolorem faciliùs fert; alia verò, quod volupe eſt, non niſi interjecto frequenter dolore, aut minùs gratâ ſaltem indolentiâ perferre poteſt. Ex quibus prior quidem valentior morbis gravioribus magis opportuna audit; poſterior verò imbecilla valetudine non ita commodâ utitur, ſed interea affectibus periculoſis minùs obnoxia eſt.

*Conditio diverſa prout natura fert voluptatem & dolorem.*

*Quare voluptas minùs ſincera eſt.*

Quod ad priorem attinet, eſt ubi voluptas judici mentis facultati non probatur, veluti quæ ſolis ſubſellij inferioris organis jucunda eſt, verùm de quâ ſuperior illa longè aliter cenſet. Unde nonnihil ingrati frequenter voluptatibus admiſceri contingit. Dein verò ad potiones meraciores confugiunt, quibus dictata judicis negligere moris eſt. Attamen harum ope in aliud tempus differre licet judicis ſententiam, non eandem irritam reddere; donec repetitis calicibus hæc quidem facultas tandem ſubacta cedat. In cujus locum ſubiêre peregrini iſti ſpiritus, qui furiarum ad inſtar exagitant perturbántque mentem; interdum & aciem ipſius retundunt, vigorémque ſtupore demergunt; interdum quicquid humani reliquum eſt vi ſuâ adeò obruunt atque extinguunt, ut, niſi lethum occupârit, in vivo adhuc corpore mentem quaſi ſepeliant.

*Exemplum mero continuantis voluptatem.*

Siquidem quibuſlibet naturis, ubi voluptas ope meri continuatur, metuendum, ne tale quiddam ſibi eventurum ſit, quale Socrates Anyti filio prædixit. Nimirum ille adoleſcens, animo quippe non remiſſus, in arte

arte ſervili à patre eidem apparatâ minimè permanſurus videbatur. Qui quidem, (*a*) *quum vino delectaretur, neque noctu neque interdiu bibendi finem faciebat; ac tandem nec patriæ, nec amicis, nec ſibi utilis fuit. Anytus ipſe, propter educationem filij pravam, & amentiam ſuam, etiam poſt mortem infamis eſt.*

Propterea mentis ea altera conditio potiùs laudes meretur, quâ ipſius voluptates florent; ubi idipſum eandem ſuaviter tangit utilia pulchritudine ſuâ atque delicijs non carentia cognoſcere; ubi ordinis virtus perſpicitur, quatenus confuſam re-

*Quî voluptas animi commoda fiat.*

(*a*) Apud Xenophontem in Apologiâ Socratis. Locum verò laudatum proximè præcedentia huc transferre alienum non videtur. Ἀλλὰ μέν τοι φάναι αὐτὸν [τὸν Σωκράτην], ἀνέθηκε μὲν καὶ Ὅμηρος, ἔςιν οἷς ἐν καταλύσει τοῦ βίου προγιγνώσκειν τὰ μέλλοντα· βούλομαι δὲ καὶ ἐγὼ χρησμῳδῆσαί τι· συνεγενόμην γάρ ποτε βραχέα τῷ Ἀνύτου υἱῷ, καὶ ἔδοξέ μοι οὐκ ἄῤῥωςος τὴν ψυχὴν εἶναι· ὥςε φημὶ αὐτὸν, ἐπὶ τῇ δουλοπρεπεῖ διατριβῇ, ἣν ὁ πατὴρ αὐτῷ παρεσκεύακεν, οὐ διαμενεῖν. Διὰ δέ τὸ μηδένα ἔχειν σπουδαῖον ἐπιμελητὴν προσπεσεῖσθαί τινι αἰσχρᾷ ἐπιθυμίᾳ, καὶ προβήσεσθαι μέντοι πόῤῥω μοχθηρίας.

rum variarum & nonnunquam ſibi invicem repugnantium in memoriâ molem eleganter diſponit, & fulgorem ex fumo elicere amat. Verùm hæ præclaræ mentis dotes non ſine exercitationibus aſſiduis vigent; at deficiunt, niſi quotidie exacuantur atque excolantur. Quin & eaſdem nimiùm exercitare licet, atque eòuſque ejuſmodi delicias adamare, ut imbecilla exinde evadant organa, ingeniíque vis non interruptis operibus deteratur. Utilis ideo imaginationis opera, quæ ſeveriores diſciplinas lepore peculiaríque ſibi gratiâ condire novit: Utilis itidem propter mille amœnitates, quas perquirit & ad rudem naturæ ſpeciem poliendam effingit; quales ſcilicet mirâ animum varietate oblectant, cavéntque interdum levia interponendo, ne mente gravi rerum momento nimis intensâ affixâque, flos egregiarum dotum depaſcatur; omniáque dein illuſtria earundem opera aut immatura pereant, aut tam ingrata propter aſperitatem evadant, ut publicis inſervire commodis nequeant.

*Quâ ratione corpus voluptates animi commodè ferat.*

Neque profectò corpus facilè voluptates mentis exquiſitas tolerat, quin minùs valeat,

at, ſiquando ad eandem excolendam totus homo vires ſuas dirigere nititur. Ad quam rem in univerſum feliciter gerendam Socratis conſilium plurimùm valet, qui hujuſce inſtituti vim in ſui ipſius imperio expertus eſt. Ille enim (*a*) *ex quo tempore intelligere, quæ dicebantur, cœperit, nunquam intermiſit tum inquirere, tum diſcere, quicquid boni poterat.* Conſtat quippe Xenophontem ſcriptorem omnibus numeris abſolutum exhibuiſſe Socratem tanquam exemplar ijs imitandum, quicunque quidem ſapere, non verò ſuprà quod hominibus par ſit, velint. Quod ipſum in (*b*) nomine ejuſdem viri ſignatè proditum eſt; quaſi indicarent Attici imperio ſui ipſius potitum, ſalvúmque illud in ultimum tempus præſtantem. Ille, (*c*) inquit autor laudatus, *primò*



---

(*a*) Xenoph. Apol.

(*b*) Ἀπὸ τȣ̃ σώζειν τὸ κράτος. Quod denotat etiam non modò *regnum*, ſed & *victoriam obtinere*, ac *ſervare.*

(*c*) Idem ibidem. In quâ deſcriptione bis alluſum eſt ad poſteriorem, quæ nominis compoſitionem ingreditur, vocem: Verba Xenophontis ſunt, Ὃς πρῶτον μὲν Ἀφροδισίων καὶ γαςρὸς πάντων ἀνθρώ-

*primò rerum Venerearum ac gulæ ſupra omnes homines continentiſſimus erat; deinde hyemis, æſtatis, laborum omnium tolerantiſſimus, atque etiam ſic ad frugalitatem inſtitutus, ut quum valde modicum poſſideret, facillimè contentus ijs eſſet, quæ habebat.* Paulò poſt; *Quia conſtabat eum talem eſſe, in ſpem erigebat illorum animos, qui conſuetudine ipſius utebantur, futurum, ut ſi ipſum imitarentur & ipſi tales evaderent. Nec corpus quidem ipſe ſuum negligenter curabat, ac ſi qui curarent negligenter, eos minimè laudabat. Itaque improbabat, ſiquis nimio cibo refertus labores immodicos ſuſciperet; magiſque probabat,* (*a*) *ſi quod animus lubenter admiſiſſet, id laborando conficeretur. Nam ejuſmodi habitum valetudini non parum conducere, ac animi ſtudium haudquaquam impedire aiebat.*

*Exercitatio mentis commoda.*

Poſt hæc Xenophon objectis reſpondens addit; *Video, perinde atque corporis actiones ab ijs ſuſcipi non poſſunt, qui corpora non ex-*

---

ἀνθρώπων ἐγκρατέςατος ἦν· εἶτα πρὸς χειμῶνα καὶ θέρος καὶ πάντας πόνȣς καρτερικώτατος, καὶ τὰ λοιπά.

(*a*) Verba Autoris ſunt, Τὸ δὲ ὅσα ἡδέως ἡ ψυχὴ δέχεται, ταῦτα ἱκανῶς ἐκπονεῖν ἐδοκίμαζε.

*ercent*

*ercent; ſic etiam actiones animi non poſſe ab ijs perſici, qui animum non exercent.* Dein poſtquam aſſeruerit, *exercitatione omnia bona & honeſta comparari, maximè verò modeſtiam*, ſubjicit; *In eodem corpore voluptates animo inſitæ perſuadent ei, ne temperanter ac modeſtè ſe gerat, ſed quamprimum & ipſis & corpori gratificetur.* Cujus rei exempla Alcibiadem & Critiam proponit; *qui, quamdiu cum Socrate verſabantur, cupiditates inhoneſtas vincere poterant*; poſtea verò in omnia alia abierunt. Mens quippe varios induit mores pro diversâ organorum conditione, in quæ plurimùm valet conſuetudo: Hâc enim, quæ acerba antè videbantur, pòſt toleratu facilia, & nonnunquam grata & jucunda tandem evadunt, taliáque ſine quibus vix beatis eſſe licet. Quomodo profectò accidit, ut qui ſtudijs literarum aſſiduè per plures annos mentem exercere ſoliti fuerunt, ijdem ſi ipſis incumbere omittunt tam ægrè apud animum ferant, quàm hi, qui laboribus corporeis quotidie aſſueti eoſdem interrumpunt, ac proinde in morbos præcipites ruunt. Imò & mens ipſa languidiùs in rebus cognoſcendis verſatur, neque cum tantâ alacritate

tate opera ſua peragit, quum cogitandi labor in deſuetudinem abierit, dulcémque ſaporem depoſuerit; quanta ei adeſt, quem nulla ſine lineâ dies præterijt, nec tamen cogitandi faſtidium invaſit.

C A P.

## Cap V.

## *De Voluptate.*

VOLUPTAS ſingulis ætatibus accommodatur, quò ſuaviùs alliciantur homines ad eadem peragenda, ſibíve concilianda, quæ natura expetit: Ideóque ad primarium hunc ſcopum per varia ævi noſtri tempora dirigitur. Siquidem ita jugiter res habet, ut quò fortiùs urget appetitus, eò ſincerior dum iſthic ritè expletur, fluat voluptas. *Voluptas Ætatis cujuſque.*

Præterea plura ex hominis, quam bruti cujuſvis fabricâ oriuntur deſideria, quibus voluptates reſpondent; nonnulla itidem temperamentis diverſis ſingularia: Quibus ſuperadduntur mores educatione introducti uſúque confirmati; unde nova interdum naſcuntur deſideria, quæ peculiarem quan- *Et temperamenti.*

quandam gratiam voluptatibus conciliant, ac vim ijs aſciſcunt.

*Infantiæ prima.*

Nempe prima infantia motui violento inepta, novo lucis ſplendore blandâque nutricis loquelâ, lactis dulcedine ac leni geſtatione gaudet, neque ijſdem initio niſi parcè, atque eatenus ferè, ut repleta ſomnum capeſſat. Molles quippe adhuc fibræ ad liquorum naturam tam propè accedunt, ut vix ulla veſtigia memoriæ impreſſa teneant, quin citò, tanquam aquei diviſi atque iterum nullo inhibente confluentes, unam ferè ſine ullis apparentibus ſignis indiſcretam præbeant faciem.

*Cauſæ ejuſdem.*

Ideo verò pauca iſthæc tunc temporis conducunt, quia nondum amplius vult natura, quàm ut vitæ ſensûſque tenellæ agantur radices, ac ne vitalis lampas recens accenſa idoneo ad ſuſtentandum pabulo deſtituatur. Quî fit ut ad hoc operis utilia imprimis ſola curet. Incipit ergo infans à vagitu auxilium neceſſarium depoſcente, & riſu dein blanditur, qui veluti hâc ratione parentibus rependit, quicquid curæ ſibi inſumtum eſt, charitatéſque novas accendit. Unde gaudia hoc ævi tempore

pore ſincera & profuſa, abſque quibus ſanitas vix conſtat, attamen hæc ipſa ſine eorundem perinde atque dolorum recordatione.

Proximo ævi ſtadio dentes ſe attollunt, cæteráque vocis organa ad articulatè loquendum comparantur; pedes ad ambulandum firmiores evadunt, totúmque corpus agilius redditur. Idonea igitur huic ætati voluptas eſt exercitatio levis ſummè varia, cùm organorum vocalium, tùm pedum corporíſque artuum mollium miréque flexilium. Quin & eduliorum potionúmque dulci ferè ſapore oblectatur. Quæ videt audítque imitari geſtit, præſentibúſque lætatur, vix præteriti boni malíve memor, futuríve cauta. Recordatione tamen ſimplici rerum ſonorúmque ſingulorum præpollet; quæ nondum tam fida, quàm mox inſequenti tempore. Verùm plura nova cum voluptate indies experitur, ac lætitiâ propè perpetuâ, modò adſit ſanitas, fruitur. *Proximæ ætatis.*

Deinde quando ad conficiendum alimenta valentiora ætas adhuc firmior comparata fuerit, ſcopus ad quem diriguntur volup- *Puerilis.*

voluptates is eſt, ut corpus in proceritatem evehatur, perinde atque robur adaugeatur. Hinc pueri ludis varijs ad fatigationem agitati lætantur, quos plurimum juvant quaquaverſum jactationes. Quippe quibus tramites ad alimentorum facultates intromittendas adaperiuntur, tubulíque minutiſſimi paulatim evolvuntur, atque extenduntur ut ad debitos uſque terminos jucundè amplientur.

*Quales tunc temporis panduntur dotes & voluptatum fontes.*

Durante hoc ævi ſpatio memoria maximè viget, & quæ complectitur, hæc uſque ad ſeros eidem annos hærent. Quod igitur vitæ tempus ſingulis rerum generibus nominibúſque addiſcendis dicari ſolet. Qualia quidem faciliùs ferè tenet, quò alacriùs ad ludendum ſe accingit, & voluptatem exinde vividiùs ſentit, avidiúſque percipere ſtudet. Nunc animi dotes ſuperioris ordinis ſeſe ſpectandas pandunt; imagines novæ ad ſimilitudinem earum, quæ viſibus objectæ ſunt, effictæ conſpiciuntur, æmulíque eorum quos audit ſonorum toni modulíque tentantur, atque omnia, quæ coætanei aut potiùs ſeſe paulò majo-

majores natu aggrediuntur, admiratur conatúrque. Nunc & à falſo verum ſecernere cupit intellectus, ac rectum pravúmque ſibi conſcire incipit : Solertiam ad puerilia tractanda dein adhibet, vímque indagatricem rerum celatarum eòuſque oſtendit, ut qualis futura ſit poſthac mentis poteſtas hâc ætate obſervantibus patefacere conſueſcat. Et quid ni inter parvos hoſce latentem requiramus ſcriptorem, quiſquis ille ſit, qui ſeculum ingenij fertilitate exculturus eſt ? Qui ſcilicet laudibus debitis quidem, ſed à coætaneis ipſorum dum viverent propter invidiam negatis, majores aliquando cumulet ; ac dein eorundem æmulus inter clariſſima orbis literati ſidera reſplendeat. Propterea illiuſmodi teneris at fœcundis ingenijs optandum, ut exemplaribus non modò priſcorum, verùm & nuperorum, imò & hodie aurâ ætherea vefcentium, quibus mens divinior eſt atque os magna ſonaturum, ne deſtituantur ; ut, quando ætas adoleverit, memoriâ cum voluptate tenentibus, quos ad vivum ſuaviter delineent, eorum omnium virtutes repræſentare æmularíque libeat.

Nempe

*Eorum ſumma.* Nempe oportet pueris, qui ad tanta nati ſunt, illiuſmodi adeſſe ſtudia; quò feliciùs à voluptate maturiori ævo, quando robur corporis juſto tempore ad ſummum perductum fuerit, deſtinatâ ijdem nec ingratè revocentur. Quæ autem ad hæc uſque ævi tempora ſpectant, Paulus (*a*) paucis complectitur; *Poſteaquam lacte nutriri infantes deſierint, liberiore eis modo & ſuo ingenio hilariter vivere permittemus; exercitia autem & alimenta leviora. Ab anno ſexto & ſeptimo tum pueri tum puellæ, literatoribus blandis humaniſque tradentur; tales enim cum animi remiſſione & gratiâ docent. Animi autem relaxatio ad probam corporis educationem plurimum adfert momenti. Duodecimum annum egreſſi ad Grammaticos jam & Geometras mittendi ſunt; corpúſque ſuum exercere oportet. A quarto decimo uſque ad primum & vigeſimum mathematicis diſciplinis & ſapientiæ ſtudio incumbent: Exercitijs pluribus propter corporis robur credentur, ut & animo & corpore laborantes à libidinis impetu coërceantur. His etiam vinum circumcidendum eſt.*

---

(*a*) L. 1. c. 14. Vertente Guinterio.

Adoleſ-

Adoleſcentiæ quippe ſanguis poſtquam accendatur, exinde eandem vim ſibi occultè indies creſcentem veluti novum quendam voluptate minimè carentem ardorem concipit; quem pari paſſu comitatur partium ſymmetria, nec non qui ſpectantibus laudatur color vividus, vultus ſerenus, oculi amores jaculantes, venuſtas, cæteráque quæ jucunda intus omnia commonſtrant. Quin & laudibus gaudet, & benevolè cuique merita retribuere æmula, nondum invida, quæritat; quâ ratione virtutum ſocialium fundamina in eâdem jaciuntur, atque ipſæ ibidem florent. Hîc verò amicitiæ exurgit fons, qualis per totum vitæ curriculum lætos ferre ſolet fructus. Simplex interim amoris illecebris trahitur, eíque imperanti libenter paret. Quâ in re quippe ad conſervandum genus utilem voluptatem natura profundit; felicéſque operarum conjugalium dulcedine intenſiſſimâ tangit: Adeò ut hæc à (*a*) vate, qui Epicuri placita caneret, nomine voluptatis ſpeciatim ſignetur.

*Adoleſcentiæ dotes & natæ inde voluptates.*

---

(*a*) Lucret. L. 1. v. 1.
Æneadum genitrix, hominum Divômque voluptas.

*Amor eíque ſubordinatæ voluptates.*

Amori ergo tanquam principi plures aliæ voluptates famulantur, quæcunque amœnitate ſuâ juvant, animos addunt menti, robur corpori impertiuntur, atque ad ſanitatis ſumma perducunt juga. Huc faciunt quæ formam perpoliunt, mundus ille, ornatus, cæteræque omnes elegantiæ, quæ gratiores reddunt amantes. Proinde Veneris ſubridentis Gratias Poëtæ canunt comites, miniſtrantes quæ decent : Sunt verò eædem (*a*) ſplendor oculos paſcens, morum animi ſuavitas, atque flos demum ille felicitatis ſodalitiæ, qui in convivijs enitet.

---

(*a*) Heſiodus docet, Jovem genuiſſe ex Themide [quæ vox jus fáſque denotat] Eurynomen [videlicet latè id ipſum diſtribuentem]: Dein ex Eurynome tres Gratias, *quarum & palpebris amor membra ſolvens contuentium deſtillat.*

Τρεῖς δέ οἱ Εὐρυνόμη χάριτας τέκε καλλιπαρήους
Ὠκεανοῦ κούρη πολυήρατον εἶδος ἔχουσα,
Ἀγλαΐην, καὶ Εὐφροσύνην, Θαλίην τ' ἐρατεινήν.
Τῶν καὶ ἀπὸ βλεφάρων ἔρος εἴβετο δερκομενάων
Λυσιμελής· καλὸν δὲ ὑπ' ὄφρυσι δερκιόωνται.

Theog. Heſ.

Præte-

Præterea ex hoc tanquam fonte oritur volupe illud, quod oculos auréſque & animum ipſum demulcet. Amoris quippe eſt pulchritudinem undiquaque ſemet offerentem venari; nec finibus anguſtis contentum eſſe, verùm omnia longè latéque diſſita ornare, ex quibus amœnitas ubivis viſibus grata evadat, auréſve toni ſuaviores alliciant. Ut taceam cæterorum ſenſuum oblectamenta, quæ fomites huic igni ne deſint curant; ab eóque invicem ſuam vim aciémque exquiſitam mutuò accipiunt. Quò nimirum tendunt guſtûs deliciæ? Quò ſuaveolentium gratiæ? Quò tandem tactûs delicata ſubtilitas? Quales quidem à ſenſibus perceptæ voluptates ad animum etiam aſſurgunt; veruntamen ab amoris officijs excitantur, atque exinde apud homines tantum valent. Quemadmodum diſertiſſimus ille (*a*) Romanorum, initio ab auribus ſumto, quæ oratoris vim maximè ſentiunt, ad amuſſim prodidit; *Qualis eſt hæc aurium, tales ſunt oculorum & tactionum, & odorationum & ſaporum, quæ ſunt omnes unius generis ad*

*Amor complurium cauſa.*

(*a*) Cicero Tuſc. Quæſt. L. 4.

*perſundendum animum, tanquam illique factæ voluptates.*

*Voluptates ab amore pendentes.*

Proinde ab hâc voluptate pendent non ſolùm modorum ex arte muſicâ petitorum gratia & voluptas, ac eorundem ad animum irritandum mulcendúmve aptitudo; ſed & hinc ſuas facundia catenas, ſua (ut ita dicam) philtra mutuatur. Hinc & molles meditatur carminibus numeros Poëtica, quorum vis ex eodem jucundo ſentiendi modo elicitur; etiamſi idipſum, unde ſingula ejuſmodi perplacent, mentem faſcijs amoris devinctam prorſus fugiat. Sudet licèt philoſophia nobiliores voluptatis cauſas explorando, vix alias priores inveniet, quàm quòd in amore inſunt ea omnia, quæ tanti apud homines momenti æſtimantur; ex cujus celati pharetrâ iſthæc infixa animis audientium tela depromta fuerint. Inde fit ut ſermones ſalibus conditi, uti & ipſa ſapientia ſeverior, qualis cum amore non conjungitur, aures non modò captare, ſed & faſtidium parere ſoleant.

Propen-

Propenſionem verò in hanc voluptatem à naturâ adeò valentem obſervârunt vetuſtiſſimi ſcriptores (*a*) Græci, ut Amorem inter primores Deorum recenſerent, ejúſque poteſtatem in cunctorum animum ac providum mentis conſilium celebrarent. Unde & omnia primò in pulcherrimum prodijſſe ordinem, ac eodem etiam amore cohærere; aut ſi vi fortè divellantur partes, iterum cæco ejuſdem impetu ad ſe mutuò trahi. Amorem quippe ſenſerunt

*Amore mundus continetur ex mente veterum; ejúſque poteſtas.*

(*a*) Nempe addiſcimus ex Philoſophis Poëtarum interpretibus, mundi fabricam ex confuſo Chao in telluris ſolum ſubſtratum tanquam baſin Jovis imperio, ſeu Aëri atque Atmoſphæræ, ubi venti nubéſque colluctantur, expanſam fuiſſe, Tartaráque Ditis regna inferiùs depreſſa; dein verò per amorem conſtare, partéſque ejuſdem ſimul ac univerſi mundi, alteram in alterius amplexus perpetuò tendentem, contineri: Non ſecus ac recentiores eaſdem attrahi monuerunt. In antiquiſſimo illo Heſiodi opere, ubi Deorum generationem, mundi ſcilicet fabricationem, complectitur, Chaos, Tellurémque & Tartara proximè inſequitur Amor;

*Ἠδ' ἔρος, ὃς κάλλιςος ἐν ἀθανατοῖσι θεοῖσι,*
*Λυσιμελὴς, πάντων τε θεῶν πάντων τ' ἀνθρώπων*
*Δάμναται ἐν ςήθεσσι νόον καὶ ἐπίφρονα βȣλήν.*

 ad

ad primariam pertinere mentis ipſius ſedem, ſtirpémque eſſe, unde cæteræ voluptates fructus quæque ſuos collegerunt. Eundem itidem pariter valere opinati ſunt ad univerſi partes conjungendas, atque ad homines in ſocietatem congregandos; ideóque hunc Deum

*——Ire per omnes*

*Terráſque, tractúſque maris, cœlúmque profundum.*

*Honor ei conjunctus.*

Quidnam autem eſt Patria? Nónne cognatorum, eorúmve, qui in ſimiles conſentiunt amores, ſedes? Cujus cauſâ dulce & decorum eſſe mori honor edicit. Qualis quidem ingenui eſt animi voluptas, quem nobilis ille ardor dulcedine eatenus tangit, ut labores nullos non perferre, nulla pericula non adire geſtiat. Honorem ergo ſemper comitatur amor, neque ſine ipſo intelligi poteſt; maximè verò is, qui militari naſcitur gloriâ; unde non abs re Poëta (*a*) rerum naturam pandens, Veneri

(*a*) Lucret.

Mavor-

Mavortem æterno devinctum eſſe amoris vulnere, cecinit.

Nil miri igitur ſi eodem ævi tempore, ubi amor æſtuat, & ad ſummum effertur, omnia civilis vitæ officia præcipuè coli, & cum ejus refluxu negligi conſuêrunt. Idem & in diſciplinis uſu venit. Unde quoque per hoc ipſum ſpatium meſſis colligitur, & vitæ fruges reponuntur, quæ ad ſenectutem alendam conquiruntur. Interim omnes hæ voluptates cum recordatione conjunctæ augentur pro gratâ memoriæ impreſſione, adeò ut deſiderium ſui relinquere ſoleant. Reverà bona voluptatum pars, quas ſapiens optat, de eo genere ſunt, ut ſe fruiturum repetitis ſperet, quáſque animo revolventi nulla pœnitentiæ detur cauſa. Tales verò habentur, quæ ad ſanitatem utiles deprehenduntur; nempe quales natura ut ſibi bene ſit depoſcit. Siquando enim modo peccent, vires priſtinæ amiſſæ monent; ídque dein ſentientibus præſtolandi cauſa eſt, uſque dum eædem reſtitutæ fuerint. Quibus profectò accedunt animi ipſius voluptates, gaudiáque non immiſta ſenſuum externorum officijs, quæ prudens quiſque

*Quomodo voluptatum commoda decerpenda.*

ſibi conciliat, quam primum ſatis diu in vitâ manſerit; quas quidem tanquam mentis opes recondit in provectioris ætatis ſolatia.

*Voluptas ſeræ ætatis.*

Voluptas quippe ſeræ ætatis illiuſmodi propè videtur, quam Poëta (*a*) depingit; qualis cernenti magnos juniorum labores, affectúſque indomitos reprimen-

---

(*a*) Suave mari magno turbantibus æquora ventis,
E terrâ magnum alterius ſpectare laborem;
Non quia vexari quenquam eſt jucunda voluptas,
Sed, quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.
Suave etiam belli certamina magna tueri,
Per campos inſtructa tuâ ſine parte pericli.
Sed nil dulcius eſt, bene quàm munita tenere
Edita doctrinâ ſapientum templa ſerena;
Deſpicere unde queas alios, paſſímque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti præſtante labore,
Ad ſummas emergere opes, rerúmque potiri.

*Lucret. Libri ſecundi initio.*

Quæ ſanè certamina ad mediam ætatem præcipue ſpectant. At profectò ſuaviſſimum futurum eſt, juvare pariter poſſe quos ita laborantes cernis: Nec citra idipſum naturæ bonitas ſinceriore fruitur voluptate; quippe cui alienis malis, ſi non lædi, tamen aſperius tangi contingat.

tium,

tium, quibus tanquam fluctibus jactantur, ideo ſuavis eſt, quoniam ipſa olim experta iſtiuſmodi mala, miſeris ſuccurrere didicit. Siquidem juvat, non ſolùm ſeſe extra iſthæc tela poſitum nôſſe, ſed & conſilijs auctoritatéque ſapientiæ, laborantes, ſi non à difficilibus omnino tutos, incolumes tamen eripere, ſalvóſque demum officijs ſibi devinctos præſtare. Ideóque nil ſenectuti mente bene ſanâ præditæ dulcius eſt, quàm literas eòuſque excoluiſſe, prudentiámque ſibi omnimodâ experientiâ acquiſiviſſe, ut non planè otioſus ſpectator aut inconſultus in ſerotinis vitæ ſcenis appareat.

Quâ re motus Socrates, poſtquam ad ſenium deveniſſet, accuſatus nullâ defenſione uti voluit, uti teſtatur Xenophon, qui Hermogenem Socratis familiarem laudat aſſerentem talia ab ipſo fuiſſe dicta; *An neſcis nulli me hominum ad hunc uſque diem vitæ integriùs actæ laudem conceſſiſſe? Nam quod jucundiſſimum eſt ſciebam, mihi vitam omnem ſanctè ac juſtè tranſactam. Quo fiebat, ut & ipſe magnam ex me voluptatem caperem, & animadverterem familiares meos idem de me ſentire. At ſi nunc* *Illuſtratur exemplo Socratis.*

*ætas*

*ætas mea progrediatur ulteriùs, ſcio neceſſarium eſſe, ut quæ ſenectutis ſunt mihi quoque contingant; nimirum ut pejus videam, minùs audiam, ad diſcendum minùs idoneus ſim; eorum verò, quæ didicerim, faciliùs obliviſcar. Jam ſi animadvertam deteriorem me fieri, graviterque hoc feram, quî dicere poſſim, me jucundè victurum? Fortaſſis etiam, inquit, Deus hoc mihi ex benignitate præſtat, ut non ſolùm opportuno ætatis tempore vivendi finem faciam, ſed etiam ratione longè facillimâ. Nam ſi modò condemnatus fuero, manifeſtum eſt, poſſe me uti mortis genere, quod leniſſimum eſſe judicatum ſit ab ijs, quibus hoc cognoſcere curæ fuit, minimúmque negotij ſit exhibiturum amicis, quod denique in moriente maximum deſiderium excitat. Quippe quum nihil indecori neque offenſionis in animis eorum qui adſunt relinquitur, & ita quiſpiam extinguitur, ut & ſanum habeat corpus & animum, qui comiter agere cum alijs queat; quî fieri poteſt, ut hoc non ſit optabile?*

*Qui & in Prytanea, locum ſibi debitum cenſebat.* Propterea mos apud Civitates ſapienter & feliciter conſtitutas invaluit, ſedes honorificas ſenibus, qui bono publico per vitam anteactam conſuluerant, tribuendas

das curare ; ubi metu egeſtatis ſemoti cum dignitate alerentur ; ita tamen ut eorum intereſſet, tanquam patriæ ſuæ parentes haberi, & nequid in publica peccetur commoda, à quibus ſua etiamnum pendent, proſpicere ; atque experientiæ ſuæ auxilijs quandocumque tractatu difficilia rempublicam adminiſtrantibus occurrerent, perpetuò adeſſe. Hujuſmodi locus erat Prytanéum Athenis in arce digniſſimus, ubi judices & magiſtratus habere conſilium ſolebant. Ibi etiam alebantur publicè, qui bene meriti erant de Republicâ ; qui honos apud Athenienſes maximus habebatur. Ac proinde Socrates, poſtquam ſibi rectè factorum coram judicibus meminiſſet, *Eorum*, inquit, *gratiâ, quæ à me geſta ſunt, cenſeo me in Prytanéo ali debere.*

*Ratio ejuſdem.*

Nempe ea ſuprema eſt ultimæ ætati voluptas, ut dignitate apud ſuos emineat, poſtquam cæterarum rerum uſus eidem vix ſuppetit. Hoc quippe novum quiddam, quale in vitâ nondum attigerint, faſtigium videtur, ideóque velut aliquid ijs ultrà expetendum proponitur. Cujus ſanè vice ad opes cumulandas tanquam fidum

dum honoris fulcrum ac tutum ſibi perfugium, frequenter animum ſeniores adjungunt. Quod quidem rarò ijs laudi cedit, verùm ſæpe odium ac contemtum devocat; utpote qui ea ſibi acquirere magnopere nituntur, quibus juniores indigent, dum ipſi jam detinentes uti nequeunt. Quicquid ſanè eò tendit, ut (*a*) alacritatem animo addat, neque dolorem pariat, hoc quidem ſenibus curæ eſſe par eſt; & quodcunque de genere hoc experiuntur, idipſum ſibimet conciliare prudentiæ eſſe haud vulgaris videtur.

---

(*a*) Verbis videlicet Lucretianis, —*Ut cùm Corpore ſejunctus dolor abſit, mente fruatur Jucundo ſenſu, curâ ſemotu', metúque.*

## CAP. VI.

### *De Dolore.*

AD alteram iſtam organorum mentis conditionem, quæ cum dolore conjungitur, hinc tranſeundum. Is autem perpetuò index ſit mali alicujus, quod nerveæ fibræ patiuntur, utrùm hoc à corpore ipſo læſo, vel â primarijs mentis facultatibus integro priùs corpore ipſis inferatur. Siquidem moleſtiâ ſuâ veluti apertè declarat ſublevando opus eſſe, dum ad locum ipſum quaſi digitum intendat, ubi aliquid adeſt vitij; unde malè habentes nervi idipſum principi mentis facultati denunciant. Duplici proinde fonte exoritur dolor, ubi aut mens ipſa corpus, aut corpus mentem afficit. Utroque interim nomine læditur corpus; verùm niſi facultatum mentis primariarum organa patiuntur, mens integra manere ſolet. Quæritur ergo de dolore, quænam

*Qualis & quotuplex dolor.*

quænam ſit ſedes; utrùm ab initio eidem affixus fuerit, vel omnino moveatur; dein quodnam illius genus, qualíſque gradus ſit.

*Sedes diffuſa per univerſum.* Quod ad ſedem doloris attinet ambitus diverſimodè porrigitur; ac interdum dolorem per univerſum corpus, interdum per quaſdam partes diſtributum æger ſentit: Nonnunquam etiam ubi totum occupavit, vehementia non ubique eadem eſt. Id quod febricitantibus accidere non inuſitatum eſt, qui nullam non partem laborare, at interdum haſce partes leviùs quàm illas pati queruntur. Eſt itidem ubi externæ graviùs quàm internæ dolent; qualiter nonnunquam ſe habent Rheumatiſmo laborantes.

*Vel partes.* Interdum autem ubi plures patiuntur partes, aliquid ejuſmodi ipſis datur commune, ut, dum dolor hiſce ingraveſcat, illæ ſubleventur. Quod ſi fiat, veriſimile eſt itinera inter ipſas, quantumvis celata, ſervari aperta, per quæ vitioſa ſubtus labuntur.

At

At ſi unica pars afficiatur, aut fines ſedis latiores ſunt, aut in unum aliquod quaſi punctum dolor deſinit. Quòd ſi parti alicui latiùs inſidet, quamvis inibi materia peccans vaſa plura premat diſtendátque, paucioribus tamen leniri ſæpenumero poteſt, quàm alter iſte, ubi anguſtis loci terminis vitioſum altè infixum & coarctatum hæret, quódque ideo non niſi magno negotio divelli queat. *Intra latos vel anguſtos cancellos.*

Hæ interim partes vel nobiliore donantur ſorte, aut ſaltem eâ quæ utilem talibus operam præſtet; vel quales in honore eò uſque non ſunt. Prioris generis ſunt capitis pectoríſque vel lateris dolores, quíque ſiti ſunt in ſedibus emunctoriorum, quæ ipſis inſerviunt: Qui utpote majoris momenti curam exquiſitiorem deſiderant, quàm ubi à viſceribus nobilioribus remotæ partes, cæteris nimirum paribus, afficiuntur. *In nobilibus vel minoris momenti partibus.*

Fabrica autem ſedis vel eâ ratione conſtituitur, quæ citò id quod dolet dimittat, vel quæ detineat, & quali hærere hoc ipſum diu conſuevit. In hunc modum ventriculus brevi viſcoſa ægritudinem parien- *Fabrica ſedis.*

tia

tia rejicere ſolet, ſéd qualia ſæpe nonnullis non niſi majore niſu pelluntur.

*Ex ſede dignoſcuntur dolores animi & corporis.*

Quinetiam ex ſede proficiſcitur, quòd dolor, quem ægrotus corpore læſo patitur, dignoſcendus ſit ab hoc quo animus afficitur, ex mœrore vel gravi aliquâ mentis perturbatione, ex amore, odio, irâve aut metu ; ex ſpe vel deſperatione, omnibúſque qui atræ bili imputantur doloribus, quíque pectora affectibus iſtiuſmodi obnoxia ſæviùs torquent. Qui ſanè tam multiplicem varietatem ſortiuntur, quantâ facultas imaginatrix vi prædita ſit aliena pro veris fingendi, ijſdémque, veluti malis re ipsâ undique urgentibus, principes mentis facultates occupandi.

*Ut & dolores ſingulares.*

Ex ſede quoque oritur maximè inquietudo atque ægritudo, & vertigo ubi omnia circumacta apparent ; ſicut itidem ſymptoma illud, quum arcto quodam vinculo colligatus eſſe ſibi æger videtur. Hinc ſimiliter evenit, ut hic torpore laboret, útque ille animum labaſcentem ejúſve deliquium ſentiat ; ut alij motus involuntarius accidat, qualiter ubi pars ſe contrahit vel convellitur ; alij verò motus impediatur,

ut

ut ſiquando pars nutui mentis aut ægrè aut non omnino obediat. Nec profectò omittenda eſt gravis ac perpetua in ſoporem proclivitas, vel è contrà, quando in vigilijs pertinacibus rigidæ aut diſtentæ ſint nervorum fibræ.

Ad calcem horum ſubnectendum mentis ipſius ab officio amotionem, quæ per exacerbationes remiſſionéſque dolorum in proprijs locis cernitur; quæ & aliquando eò uſque obtinet, ut nulla integritas revertatur. Interdum etiam ad mentis defectum deventum eſt; qualis fit in moroſi, ubi facultas princeps interdum aboletur, aut è medio tollitur vitâ adhuc durante. Quæ quidem ad uſum partium, à quarum integritate nobiles mentis functiones pendent, referenda videantur. *Defectus mentis.*

Porrò ad ſedem præſertim pertinet, quòd dolor huic affigatur loco, vel in alia atque alia digredi, aliquando etiam per errorem quaſi viam quæritans, videatur. Videndum igitur an erraticus dolor huc illuc divagetur, adeò tamen ut in veterem ſubinde locum remeet: Ubi advertere eſt ſedem, quam nunc obtinet, *Dolores erratici.*

pariter atque illam, quò deferri ſolet. Qualia quidem Arthriticis itinera notantur, per quæ ab articulis hiſce in illos diſcurrit, revertitúrque ad eoſdem dolor.

*Doloris genus ex ſede varium.*

Priuſquam verò varia doloris genera recenſeantur, obſervare non alienum erit, eadem itidem diverſa eſſe pro ſingulis ſedibus; quale eſt parturientium, ac ſtranguriâ laborantium; uti & reliquorum ejuſmodi, de quibus ſuprà mentio facta fuit, dum de ſede agebatur.

*Doloris genus.*

Deveniendum hinc ad doloris genus; ſiquidem alius continuatur, qualis neque ſe omnino remittit; alius intermittit: De quo rurſus diſpiciendum, an brevi recurrat ictibus veluti repentinis verberans pulsánsve, an per circuitus quaſi præſtituto & præcognito reviſendi tempore: Denique, utrùm corpore quieſcente non afficiat, at, dum movetur, urgeat.

*Secundùm ſentiendi modum.*

Præterea autem doloris genus notare eſt ſecundùm ſentiendi modum, veluti hic, qui ægrum, quaſi grave aliquid ſuſtineatur, premit; vel ille, qui perinde lædit, ac ſiquis obtusâ & durâ quâdam materiâ percuſſus

cuſſus eſſet, vel itidem acutâ quâvis, ſítne hæc pungens, cædénsve aut lancinans, mordens aut etiam rodens; aut demum urens more frigoris, aut etiam æſtûs ardentis. Huc pertinet id genus dolor, qualis compreſſis aut ligatis accidit, aut qualis diſtentis aut vellicatis; qualis etiam ulceroſis adeſt.

Quinetiam genus doloris diſtinguendum pro ejuſdem origine, utrùm hæc ducatur, eò quòd id deficiat, vel exuperet, quod natura optat: Quemadmodum fames ſitíſque habent, quales à morbo non proveniunt, ac laſſitudo à nimio labore ortum trahens; ut è contrariò, dolor, qui ex alimentis largiore copiâ ingeſtis oritur. *Et originem.*

Poſtremò doloris gradum advertere licet, juxta quem intenſior aut remiſſior, levior vel gravior eſt. Ubi ſanè utiliſſima eſt doloris conſideranda diverſitas, quæ naſcitur ex collatione cum viribus ægri inſtitutâ, atque accuratâ obſervatione non modò quò uſque ipſe ſentiat, verùm & quàm facilè ferat, vel quantâ cum anxietate eundem toleret. Nec minori illa attentione digna eſt, ubi notatur, quatenus *Doloris gradus.*

ſuperiores mentis facultates aut vegetiores manent aut læduntur; & ſi poſterius iſthoc accidat, quanto majori vel minori earundem languentium aut deficientium angori conjungitur. Siquidem ex iſtiuſmodi indicijs diſcere par eſt, hinc quidem ad quàm fortia ſtatim remedia confugiendum ſit, illinc verò, malúmne minùs efficacibus paulatim exterere præſtet.

## Cap. VII.

## *Quæ menti bona augent aut minuunt.*

UT facultates mentis debito munia ſua modo peragant, temperamentum motúſque circumfluorum laticum ad naturas ſingulas accommodentur neceſſe eſt. Siquidem natura alia aliam eorundem temperiem, aliúmque motum exigit, quales ad amuſſim ſibi conveniant. Quin & natura ipſa varios pro ætatibus ſingulis induit habitus, qui faciunt ut latices calidiores vel frigidiores, tenuiores vel ſpiſſiores evadant, útque celeriùs ipſi vel lentiùs moveantur. Quo nomine vehementes, exempli gratiâ, liquores aliam nimiùm naturam acuunt, atque ad inſaniam propè adigunt, aliam verò ad acutè ſatis ſentiendum duntaxat excitant. Quod ipſum de ijsdem ſimiliter naturis in varijs ætatibus ſpectatis liquidò conſtat.

*Qualibus opus eſt ad rite ſentiendum.*

*Quali ratione ſenſus imminuitur.*

Ubi igitur temperamentum motúſve laticum eo modo habent, qui naturæ minimè congruit, eadem faciunt, ut ſentiendi facultas imminuatur. Nempe iſthoc dupliciter fieri conſuevit, ſeu alimentorum talium ingeſtione, atque exercitatione accommodâ, qualia robur corporis ad ſummum adaugent, ſive penes quorum facultates non eſt latices evehere ad eum gradum, qui temperie ſuâ motúque cuivis naturæ reſpondeat. Ab utroque ideo hebetior redditur ſenſus, quanquam à priore facultas locomotrix ſimul atque corporis totius vires promoveantur: A poſteriore verò vigor potiùs ſentiendi imminuitur, quàm acies facultatis retunditur. Enimvero in hunc ferè modum evenit, ut dum locomotrix facultas aſſiduâ rapidâque exercitatione robur ſibi conciliat, & mobilitate viget, ſentiendi facultas ea pati diſcat & adſueſiat, quæ ſenſu priùs acutiore omnino non potuiſſet. Exinde itidem fit ut nervi ſenſum illum acutiſſimum exuentes magis magíſque indies velut callum quendam contrahant; iíque non niſi hebetiores reddantur.

Sen-

Senſus interim dolore acuitur aut voluptate; ille ut valentiùs ſic & acerbiùs elaborat, hæc aciem ejuſdem ſubtiliorem reddit. Proinde quod dolore acuitur ingenium, raró aſperitate; quod veró voluptate, raró elegantiâ caret: Prius ferè cum robore, poſterius cum ornatu conjungitur. Ad duras igitur res ſecandum, adversáſque vi ſuâ perrumpendum prioris, ad vitæ civilis ſtudia artéſque excolendas poſterioris opera utilior fit. Et priori quidem ratione rudes aſperæque ac laborum patientes naturæ veluti exaſciantur, quæ tamen morum ſuavitatis ſublimiúmque animi cogitatorum expertes manent, quæque florum qui in mente rident cultiori infœcundæ eſſe conſuêrunt, niſi voluptatis dulcedine poliri contigerit. *Senſus augetur dolore & voluptate.*

Itaque inedia, qualis dolorem pariat, ſolicitam porró curam adipiſcendi alimentum exuſcitat: Ea veró, quó preſſiùs urget, palatum minùs delicatum eſſe, nec vulgaria ſpernere propè jubet. Ac tametſi, modó appetitui ſatisfactum fuerit, dolor iſte in præſens non ultra exacuat, memoriæ tamen impreſſum doloris *Dolor ex inediâ acutum, & aſperum reddit.*

veſtigium relinquit. Unde quiſquis præmetuit ejuſdem reditum ad laborem ſummopere incitatur, cujus fructu famem in poſterum etiam depellat. Interim acriter ac vehementer urgent eos curarum ſtimuli, quibus inſtat rerum ſummè ad vitam conſervandam utilium egeſtas. Qui autem tam ſævâ utitur magiſtrâ, qualis eſt ejus experientia, qui quotidie vel fame ipsâ, aut iſtius mox invaſuræ metu torquetur, quantumvis roboris ex improbis laboribus ei accedat, non minus tamen aſperitatis mores contrahant oportet. Quo fit, ut ſtomachus frequenter jejunio depreſſus mentem vix ad alia quàm craſſæ minervæ opera exacuat, neque eandem altiorum capacem reddat; niſi fortè ſecus ſe habeat in claris quibuſdam exemplis, ubi vis inſita, quam doctrina promovit, aliquos ſupra hominum ſortem evexit.

*Exemplum Epicteti & Stoicorum.* Cujuſmodi exemplum dediſſe Epictetus ille ſervus philoſophus perhibetur, qui interdiu victum labore quæritans, nocturnis lucubrationibus nobilem ſibi mentem exercitavit, acutámque redditam ſervavit. Veruntamen ipſius philoſophia uti

&

& Stoicorum omnium huic tanquam fundamento ut plurimum innixa eſt, ut ſeſe abſtinendo, dolorémque ſuſtinendo à perturbationibus animi caverent, atque ut tandem ipſi earundem immunes perſtarent. De quo philoſophandi genere hiſtorici obſervârunt, id ipſum eſſe temporibus Neronis idoneum, ſimilibúſque iniquorum principum moribus ferendis : Neſcio verò an ipſius Neronis ingenium hujuſmodi diſciplinâ non exaſperatum fuerit, adeò ut mores Senecæ præceptoris ſeveriores refugeret, atque ab ijſdem tandem abhorreret.

*Acies inde non ſubtilis.*

Proinde licèt dolori ex appetentiâ naturali orto primaria illa mentis ſagacitas debeatur, quæ ad talia conquirenda, qualia vitam ſimpliciter conſervent, utilis videtur ; acies tamen ejuſdem hoc pacto obtuſior ſubtiliora vix pervidet, nec mala, quæ velut Vulcani retia laqueíve graciles circumtexta ſunt, vulgúſque ferè latent, perſentiſcere conſuevit. Idipſum igitur in causâ eſt, cur res domi anguſta tantum impedimenti hiſce objicit, qui curioſiùs in rerum fontes variàmque earum naturam inſpicere valent. Ut-

pote

te quibus otia non dentur, molliáque vitæ, quæ tales decent, munia; ubi de ijsdem digna proferre, & cortices armatos, quibus diſciplinarum ferè theſauri integuntur, perrumpere liceat: Qui nec athletico more victúve educti laterum pulmoníſque labores exantlare queunt, neque cerebri adeò felices ſunt, ut apud literarum rudes audacter tumultuari & ſeipſos impudentiâ humo tollere poſſint.

*Exempla Ariſtotelis & Horatij.*

Hinc ingens illud, quod in Ariſtotele eminet, ingenium ab Alexandro politum fuit, qui eidem copiam ſatis largam ex opibus ſuis ſuffecit, ut per otium literis cultioribus mentem ornaret, diſciplináſque ex naturæ dictatis nitidiore ſtylo exaratas traderet. Nec aliud planè Horatio, qui ſæpe Ariſtotelis interpres eſt, accidit; cui otia, quæ voluit, data eſſe notiſſimum eſt. Nempe ingenia hominum moréſque aulicos probè novit, & mirâ puritate omnia perſcripſit, non tanquam victu ſolo ſimplici expletus, qui ſtomachum latrantem bene leniret, ſed quaſi à menſis ſecundis Divi conviva animi ſenſa verbis diſertis exponeret.

Deſi-

Deſideria quidem à naturâ proficiſcentia finibus anguſtis clauduntur, neque ultra hoſce mentem exacuere conſuêrunt ; at quæ ex ijs procreantur, nec numero, gradu modóve finiuntur. Quoniam verò non inſolitum eſt propria cuivis deſideria modulo aliorum metiri, neque metas ipſis ſtatuere alias ab hiſce, quas noti atque æquales coràm erigunt, hinc novum exoritur æmulandi deſiderium. Nihil ſanè humanas mentes, poſtquam in arctiorem ſocietatem deventum fuit, vehementiùs ſuſcitat, quàm æmulatio ; nihil æquè ad ingenia elimanda prodeſſe ſolitum eſt. Ac propterea videmus communem ſeculi cujuſque ſenſum exaltari vel deprimi pro exemplaribus, qualia æmulari tunc temporis in more poſitum erat, utrùm hæc ipſa claro germanæ gloriæ ſplendore enituerint, vel qualia barbaries in locum eorum ſuffecerit. Nil igitur miri, ſi ſcriptores ævi apud Latinos puriſſimi, qui inter ipſorum claſſicos celeberrimi fuêre habiti, propè convictores eſſent : Qui ſanè, dum recentes Ciceronis in mente laudes tenebant, atque in Cæſaris ſuccedentíſque eidem aulâ verſabantur, eò uſque

*Deſideria naturalia & acquiſita acuunt.*

que ſaperent. Imperatores dein ſequentes pro variâ ac vitiosâ cujuſque naturâ ejuſmodi ingenia obtundere conati ſunt uſque ad Trajani ortum. Quo tempore tametſi puritas elegantiæque nunquam reverterentur, attamen libertas Romanos reſpexit, ac Tacito nobili aſperitate ſuâ brevi licuit perſtringere eorum famam, qui patriæ ſuæ dedecus vixerant, fœdiſſimâque exemplorum ſpurcitie nomen Romanum dehoneſtârant.

*Quomodo æmulatio acuit.*

Quicunque reverâ æmulus eſt laudis alienæ virtutes, propter quas alius laudatur, ſuſpicit, & ex animo ſibi æquales optat : Unde hujuſmodi æmulatio ab amoris affectu tela ſua, ſtimulos, flammáſque accipit. Itaque viciſſitudo quædam doloris ac voluptatis in æmulatione probâ recurrit : Adeò ut nunc ille aſperitate ſuâ incitet ; nunc hæc ſuaviter polire ſtudeat, naturæque germanam amœnitatem ſuperinducat. Quapropter ingenij cultura vix feliciter cedit, ubi exemplaria deſunt, qualia ob oculos perpetuùm laudata intueri licet. Ideóque ſimul ac artes eò provectæ fuerint, ut nihil inſuper ex earum profeſſione cultu dignum ſperetur, eædem citò deficiunt ; quoniam eæ languent

guent in pectoribus curæ, dum non perpetuò cotes ſuppetunt recentes, quales novorum ævi ſequentis hominum mentem acutam reddere valeant. (*a*)

Ad

(*a*) Velleius hoc Argumentum Libro primo fuſiùs tractavit ; & poſtquam de Græcis ſcriptoribus ac dein Romanis idem obſervârit ad oratores ita progreditur. *At oratio ac vis forenſis, perfectúmque proſæ eloquentiæ decus, ut idem ſeparetur Cato (pace Craſſi & cæterorum dixerim) ita univerſa ſub principe operis ſui erupit Tullio ; ut delectari ante eum pauciſſimis, mirari verò neminem poſſis, niſi aut ab illo viſum, aut qui illum viderit. Hoc idem eveniſſe Grammaticis, Plaſtis, Pictoribus Scalptoribúſque, ſiquis temporum inſtiterit notis reperiet, & eminentia cujuſque operis artiſſimis temporum clauſtris circumdata. Hujus ergo præcedentiſque, inquam, ſeculi ingeniorum ſimilitudinis cauſas cùm ſemper requiro, nunquam reperio, quas eſſe veras confidam, ſed fortaſſe veris ſimiles : Inter quas has maximè. Alit æmulatio ingenia ; & nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit ; naturâque quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum ; difficiliſque in perfecto mora eſt ; naturalitérque, quod procedere non poteſt, recedit. Et ut primò ad conſequendos, quos priores ducimus, accendimur : Ita ubi aut præteriri aut æquari eos poſſe deſperavimus, ſtudium cum ſpe ſeneſcit ; & quod adſequi non poteſt, ſequi deſinit ; & velut occupatam relinquens materiam quærit novam ; præteritóque eo, in quo eminere non poſſumus*

*aliquid*

*Sanguine puro opus eſt.*

Ad acuendum autem pro cujuſque naturâ ſenſum requiritur, ut ſanguineus latex liberè canaliculos permeet; ideóque ut à lentâ quâvis materiâ purgetur. Huc ſpectat cibi potioníſque uſus, qualia alimentum non nimis craſſum ſuppeditant. Nec ſanè adhibenda ſunt ea victûs genera, quæ ex materiâ conflantur valentiſſimâ, quæque ad robur præſertim corporis conducunt.

*Cœli aëriſque temperies, ſolique ſalubritas.*

Quinetiam huc faciunt cœlum (*b*) ſerenum, & aër minimè craſſus, non calore torridus, nec frigore inhorreſcens; non deſiccatus, nec humore multo liqueſcens. Prodeſt etiam regionis ſalubritas, ubi ſolum propter ſtagna paluſtria minimè grave ſit; ubi quoque nec terra pinguis, aut quæ agricolas abunde beare ſolet. Siqui-

*aliquid in quo nitamur conquirimus; ſequitúrque ut frequens ac mobilis tranſitus maximum perfecti operis impedimentum ſit.*

(*b*) *Etenim licet videre acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolunt eas, in quibus aër ſit purus ac tenuis, quàm illorum qui utantur craſſo cœlo atque concreto.* Cicer. de nat. Deorum.

dem

dem in agro divite, qui alimentorum copiam profundit, ubi tantâ indigenis ſolertiâ non opus eſt, adinveniendi pariter facultas ſopiri conſuevit; dum egeſtas non tam potenter à tergo urget, quin labore minus improbo aſſiduóque depelli queat.

Quanquam autem ex obſervatione conſtet, ſolum paludoſum, craſſúmque inde aërem menti bona imminuere, atque è contrario egeſtatem eadem adaugere ſolitam eſſe; poſterior tamen plus ad acuendum quàm prius ad hebetandum valet. Cujus rei exemplum non è longinquo petendum, quum Batavorum ager pinguis & paludoſus & inferiùs ſitus ſit, qui victum incolis neceſſarium non præbet; Atqui nullibi gentium artes magis excoluntur, quæ naturæ incommodis ſubveniunt. Hinc piſcatorum quondam oppidula inter celeberrimas Europæ urbes caput extulerunt, & viri eruditione clariſſimi hanc ſibi patriam ornârunt. *Collatio eorum cum egeſtate.*

Nec omittenda quidem inter ea, quæ menti bona augent, libertas; uti etiam, inter hæc, quæ minuunt, ſervitium: Quarum *Et Libertatis cum ſervitio*

rum prior nobiles eidem dotes alit; alterum verò egregium illius partum plerumque extinguit, aut incrementum prohibet, atque inutilem ſordidúmve reddit.

*Vis mentis promovetur educatione.*

Quoniam verò initio nihil in mente comparet, niſi vis ei inſita, quæ doctrinâ promovetur, atque in bonam frugem ritè culta matureſcit, aut neglecta herbas noxias parturit; proventus bonorum ac malorum educationi ut plurimùm debetur. De quâ proinde agere par eſt, quatenus ad hoc argumentum illuſtrandum & abſolvendum iſthæc ſpectat.

## Cap. VIII.

## *De Educatione.*

PRIMUM in educandis liberis videtur, ut bona innaſcentia ſerventur atque excolantur, maláque ſuccidantur; niſi ea ſint, quæ utcunque pravi inſimulentur, radices tamen eſſe queant, unde virtutes maximæ emittantur. Tale ſcilicet quiddam in animoſis conſpicitur, qui audaciâ pectoríſque fortitudine ſeſe frequenter in infortunia proripiunt, atque pericula adire cœperunt, quæ licèt mala tunc temporis habeantur, poſtea tamen cognita ſunt fuiſſe initia præclararum rerum à ſe geſtarum, quales patriæ ſuæ utiles prædicantur; atque, ut nomen ſuum laudibus efferatur, tandem faciunt. Qui igitur prudens hiſce ingenijs medetur, non animos frangit, ſed eoſdem in uſus proprios vertit. *Diſcriminatio bonorum à malis.*

*Educatio diverſa pro vitæ genere.* Diſcrimen autem præcipuum advertere non alienum erit inter vitæ genera, ad quæ diverſa dein educatio adhibenda eſt; prout hunc vel illum habitum adaptare juvenibus par eſt. Nempe duo genera ſunt, ſub quorum vexillis ſingula reliqua militant; ruſticum ac ſylveſtre, vel urbanum & civile: Quibus accedit militare ex utroque miſtum. Hiſce igitur adaptare eſt educandi modum, ita ut animi dotes, quæ in utrovis eminere inter alias poſſint, in eo genere, quod ratione vel ſorte datum eſt, ne deſiderentur.

*Sylveſtre.* Sylveſtre autem vitæ genus antiquius fuiſſe ex veterum monumentis diſcimus; quippe quod ſe habet naturæ more rude ac incultum; at non tam bonorum mentis fœcundum. Non enim in eo genere varietas tanta eſt rerum, circa quas cum laude mens verſari poteſt; neque ſanè eædem difficiles & impeditæ ſunt, quales ejuſdem facultates exercendo ad ſummum acumen & peritiam perducunt, omnéſque ipſam vires exerere, ac quæcunque in abdito jacent bona in lucem edere cogant. Siquidem hæc vitæ ratio robori corporis ſanitatíque ſummæ conducit,

potiùs quàm intelligendi præſtantiæ. Alius propterea erat iſtiuſmodi olim hominibus victus; qualis (*a*) ex terrâ naſcentibus conſtabat. Is verò victus robuſtus ac ferinus in alium tandem mutatus eſt; quoniam multa & gravia ex iſtius uſu homines patiebantur plurimi; quíque naturâ debiliore prædititi erant. Hi autem urbani ferè erant, apud quos (*b*) *majore ſtudio literarum diſciplina agitari cœpit, quæ ut animo præcipuè omnium neceſſaria, ſic corpori inimica eſt.*

Proinde ad imbecillas hujuſmodi naturas opitulandas ſi non excogitata ſaltem exculta fuit medicina. Quibus ſanè educatio accommodare debet quæcunque remedia poſtea uſui fore experientiâ cognitum fuit. Principio autem victus ex materiâ *Urbanâ.*

---

(*a*) Οἷον τὰ ἐκ τῆς γῆς φυόμενα, καρπὺς τε καὶ ὕλην καὶ χόρτον. — Ὡς γὰρ ἔπασχον πολλάτε καὶ δεινὰ ἀπὸ ἰσχυρῆς τε καὶ θηριώδεος διαίτης σώματα, καὶ ἄκρητα καὶ μεγάλας δυνάμεις ἔχοντα ἐσφερόμενοι. Περὶ Ἀρχ' Ἰητρικ.

(*b*) Celſ. in Præfatione.

mediâ convenit, non verò valentiſſimâ, quæ rarò tuta hiſce naturis exhibetur : Exercitationes dein aſſiduè lenes, ambulatio præſertim ac geſtatio ante cibum. Hiſce conſulendum etiam, ut primas vias perpetuò repurgatas habeant, útque id curarent maximè ne latices puri per minutiſſimos corporis tramites circulum non abſolvant. Atque ita immodica omnia fugere par eſt, modò hiſce cordi ſit corpus menti adaptare, ídque comparatum habere, expeditum ac prorſus idoneum ad illius principis miniſteria alacriter & cum debitâ fide obeunda.

*Milaris.* Alterum vitæ genus eſt militare, ad quod educatio accommodare debet nonnulla ex utroque, ut dum in caſtris militet, valentiſſimis utatur juvenis cibo potúque, ac quando in urbe degat, tranſeat in ea, quæ urbanæ vitæ magis idonea ſunt. Huc autem ſpectat ratio Heroës educandi Homero & Pindaro decantata ; ſcilicet apud Chironem in campis Theſſalis ; ubi eos non niſi equis inſidentes è longinquo ſpeculati incolæ Centauros, quaſi ex humano cum equino corpore conjuncto conſtantes crederent. In ſcopuli nempe

nempe antro ibi habitabat Chiron, qui & juventutem diſciplinis ornaret, exercitiiſque ac diætâ idoneâ roboraret. Medicus interim ille Chiron juxta ejus ſeculi ſapientiam corpus mentémque excoluit, viróſque per omnia ſanos præſtare, dignóſque qui poſtea regnaturi eſſent, reddere ſtudebat. Pindarus elegantiſſimo carmine illius modum naturæ convenientem deſcripſit; ubi tradit, qualis Jaſonis educatio eſſet, antequam regnum Iolci paternum à Peliâ uſurpatum peteret: Ea verò ex omnibus conflatur, quæ mentem feritate horrentem in mitem placidámque ac benignam emolliant, & quæ imperatorem bellicâ regémque civili virtute inſtruant imbuántque.

*Exempla Jaſonis & Cyri.*

Hîc autem operæ pretium videtur Jaſonem Pindari atque celeberrimum illum Xenophontis Cyrum unà ſiſtere, ut ambo in eâdem quaſi tabulâ delineati conſpiciantur. Quorum quidem priori Chiron (Divinus appellatus) nomen ab arte medendi impoſuit, quâ ſanum fuiſſe eum redditum indicavit. Eductus quippe fuerat à primâ uſque infantiâ per viginti in ejuſdem antro annos, ac poſtea in ur-

bem Iolcum ab excelſâ illâ regione deſcendit; ubi ſemet patri oſtendit, qui eodem virorum jam pulcherrimo gaviſus eſt. Itaque Jaſon in Theſſaliâ, ubi & campi patentes jacent, atque equi alebantur optimi, nutritus erat; ubi & herbæ viribus valentiſſimis præditæ vigebant. Ex alterâ verò parte Cyrus in Perſide primum vitæ tempus tranſegit, regione (*a*) montanâ, ubi quòd equi ægrè alerentur, atque equitatio incommoda eſſet, etiam equum conſpici perquam rarum eſſet: Ubi itidem multò tum veſtitus vilior, tum victus tenuior quàm apud Medos. Poſtea verò apud Medos, dum puer adhuc eſſet, ſtolâ Medicâ delectabatur, & equitationis exercitio nimium quantum gaudebat. Quinetiam apud Pindarum (*b*) Jaſon rediit ex antro à Chariclo & Philyrâ, ubi à caſtis

(*a*) Ἐν Πέρσαις, διὰ τὸ χαλεπὸν εἶναι καὶ τρέφειν ἵππȣς καὶ ἱππεύειν, ἐν ὀρεινῇ ȣ̓́σῃ τῇ χώρᾳ, καὶ ἰδεῖν ἵππον πάνυ σπάνιον ἦν. Κύρ. Παιδ.

(*b*) Τὸν δὲ θαρσήσας ἀγανοῖσι λόγοις
Ὧδ᾽ ἀμείφθη· Φαμὶ διδασκαλίαν
Χείρωνος ȣ̓́σειν· Ἄντροθε γὰρ νέομαι
Πὰρ Χαρικλοῖς καὶ Φιλύρας· ἵνα Κενταύρȣ με κȣ̑ραι θρέψαν ἁγναί.

Ubi notat Scholiaſtes, Ἡ διδασκαλία Χείρωνος, ἀλήθεια. Πυθ. Δ'.

Cen-

Centauri filiabus educatus fuit: Quarum mulierum fama eatenus inclaruit, ut ipſe apud Peliam hanc ſibi tanquam gloriam vendicaret. Ibi dum totum temporis ſpatium decurrebat, neque (*a*) ſibi conſcivit factum aut verbum illiberale. Interim hîc apud optimas illuſtriſſimáſque fœminas Jaſonem educandi modus ſpeciatim obſervatur, ſtatim poſt factam mentionem Chironis diſciplinæ, ex quâ verbis ſuis Jaſon fidem aſtruit. Nihil ſanè magis aſperitatem morum perpolire aptum videtur, quàm apud fœminas illiuſmodi cultiſſimas verſatum fuiſſe. Qualis autem apparuit Jaſon ex quæſitis populi Iolci diſcimus, ad quem pleno jam foro adiit; Utrùm ipſe Apollo, an verò Mars eſſet; quorum prior ſempiternum juventæ florem formámque præ ſe ferebat; poſterior verò, quicquid in militis perſonâ admirari homines ſolent. Negabant interim illi cives

(*a*) Εἴκοσι δὲ ἐκτελέσαις
Ἐνιαυτὸς, οὔτε ἔργον
Οὔ τ' ἔπος ἐντράπελον
Κείνοισιν εἰπών. ibid.

Otum eſſe vel audacem Epialtam, qui robore ſuo freti montes montibus impoſuêre; Diiſque adverſi fuêre; Negabant eſſe Tityum raptorem magno & invenuſto corpore: Verecundus quippe, non ferox aut immanis Jaſonis vultus. Qualiter dein mens habebat ex reſponſo ipſius patet, qui aperit omnia ad ſe pertinentia minimè verbis gloriam jactans, utpote qui patrimonium ſolum ſibi vendicet, neque illud quidem omne à Peliâ occupatum poſtulet: Quippe qui potiùs cognationem inter ſe Peliámque agnoſcens eandem ſacram præſtare velit, nec armis aut vi quærere, quamvis jure poſſet. Habeas, inquit magnanimitas viri, Pelia, facultates quas à patre meo abſtuliſti, neque angunt animi opes tuæ: Quin tu ſceptrum Monarchicum ſoliúmque majorum mihi ſine moleſtiâ redde. Quum verò Pelias exponeret eam expeditionem, quæ ætati honoríque conveniret, oſtendit ſe tam arduis tractandis parem, conciliando ſibi fortiſſimos quoſque ævi illius heroës unà cum Orpheo poetâ. Unde demum Medeâ juvante, quam amore ſibi devinxit, eandem regis Colchorum filiam conjugem, ac theſauros unà domum advex-

advexit. Quod quidem ut certius fieret, (*a*) Venerem introducit Poëta, primùm dono hominibus avem ſuam dantem; qualis, ſimulac amantis perſona pulcritudine ab omni parte abſoluta eſt, eum retia tendere, fabellâ quaſi amoris actâ, commonet. Dein pietatem morúmque ſuavitatem exhibet obiter Poëta, dum Peliæ primùm occurrenti, & quiſnam eſſet quærenti imperturbatus reſponderet; aſt Patrem priùs inviſere cuperet, ínque domo paternâ per dies quinque continuos, regalis more hoſpitij, conſanguineos exciperet.

Jam verò, ut finem hiſce exemplis faciam, Cyrus ille laudatus ex legibus Perſarum duriter & temperanter (*b*) ſe pueri-

(*a*) Πότνια δ᾽ ὀξυτάτων βελέων
Ποικίλαν ἴϋγγα, τε-
τρακνάμον᾽ Οὐλυμπόθεν,
Ἐν ἀλύτῳ ζεύξασα κύκλῳ
Μαινάδ᾽ ὄρνιν Κυπρογένεια φέρεν
Πρῶτον ἀνθρώποισιν. Ibid.

(*b*) Και νῦν δέ ἔτι ἐμμένει μαρτυρία καὶ τῆς μετρίας δια της ἀυτῷ καὶ τȣ̃ ἐκπονεῖσθαι τὴν δίαιταν. Αισ-

puerilibus annis habuit ; ubi, cùm pacis jura forenſibus judicijs, tùm dein belli, exercitijs venatorijs cognovit; unde artes varias homines capiendi diſcere conſuevit. Adeò ut populos tandem Orientis volentes ſub jugum ſuum mitteret, omnéſque ijdem tanquam Patri obtemperarent.

*Officium educantis.* Denique educantis eſt illiuſmodi omnia, quæ inter bona mentis augentia priùs recenſita fuerunt, eâ ratione adhibere, quâ mentibus ſingulis profutura ſunt ; nempe eadem, quibus hæc vel illa eget, auxilia ſubminiſtrando, corpúſque perpetuò curando, quò jucundiùs cogitandi labores perferat, atque ijſdem lætum potiùs frui, quàm ægrè ipſos pati videatur. Quale ſanè accidere ijs ſperandum eſt, qui ad talia apti nati ſunt, ſi rite ad amuſ-

---

*Αἰσχρὸν μὲν γὰρ καὶ νῦν ἐςι Πέρσαις καὶ τὸ ἀποπτύειν, καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι, καὶ τὸ φύσης μεςὲς φαίνεσθαι· αἰσχρὸν δὲ ἔτι καὶ τὸ ἰόντα πȣ φανερὸν γενέσθαι, ἢ τȣ̃ ȣ̓ρῆσαι ἕνεκα, ἢ καὶ ἄλλȣ τινὸς τοιȣ́τȣ· Ταῦτα δὲ ȣ̓κ ἂν ἐδύναντο ποιεῖν, εἰ μὴ καὶ διαίτᾳ μετρίῃ ἐχρῶντο, καὶ τὸ ὑγρὸν ἐκπονȣ̃ντες ἀνήλισκον, ὥςε ἄλλῃ ποι ἀποχωρεῖν.* Κύρ. Παιδ.

ſim

ſim habeat corpus, & ſi hoc quod dolet haud imperitè tollatur, verùm jucundi ſubſequentis ſensûs quaſi reciproco fluctu abſorbeatur. Neque interim negandum, quin naturæ quædam ſtimulis æmulationis incitatæ optimè agantur, aliæ itidem frænis doloris acrioribus feliciùs interdum cohibeantur, quæ dein à triſti malorum experientiâ edoctæ ad illuſtriſſima rerum humanarum gubernacula non rarò evehuntur.

## Cap. IX.

## *De percipiendi facultate.*

*Mutatio quævis in percipiendi modo notanda.*

HACTENUS mentis cultus in univerſum; jam de ijs agendum, quæ ad facultates ſingulas peculiari modo ſpectant. Ex illis autem prima eſt percipiendi facultas, quæ integra quidem conſtat, dum rebus ſingulis haud aliter mens afficitur, quàm ſanis uſu venit. At ſi modo, huic planè diſſimili, quo ſani ſolent, haſce apprehendit, fortiúſve vel languidiùs percipit, quærere æquum eſt, laborétne eadem vitio quopiam, aut quâ ſaltem ratione immutari contigerit. Siquidem mutatio quævis, quamdiu res menti ſubjectæ eædem manent, conſiderationem meretur, etiamſi facultas ipſa potiùs vigere quàm langueſcere videatur. Interdum enim fit, ut vitioſum quiddam, quod

quod organum aliquod percipiendi obſidebat, aliò transferatur; quale ijs accidit, quibus hâc quidem parte levatâ, alia dein gravetur : Interdum etiam ut, quicquid perceptioni obſtiterat, penitus tollatur ; id quod ex habitu morbido in ſanum tranſeuntibus frequenter contingit. Qualis proinde mutatio licèt aliena huic videatur, qui diuturnâ perceptionis læſione affectus fuerit, non tamen diverſa eſt à more ſaneſcentibus uſitato.

*Malum interdum fortiùs percipere æquè ac torpidiùs.*

Malum interea ducendum eſt, fortiùs quàm par eſt res percipi, perinde ac ſi torpidiùs : Utrumque quippe materiam peccantem indicare ſolet, quæ niſi amoveatur, in hoc vel illud vitium curritur. Quemadmodum fibrarum tonus, ſeu nimis intendatur vel remittatur, naturæ munijs fungendis impar exinde evadit : Quale in vigilijs pertinacibus cernere eſt, æquè ac in ſoporem proclivitate. Atque ita quando ad faſtigium ſanitatis perventum fuerit, neque ultrà progredi detur, attoniti homines fiunt, (a) *quorum & corpus & mens*

(a) Celſ. L. III. c. 26.

*mens ſtupet.* Ac ſi ſtupor iſte ſublatus fuerit, ſæpenumero nervorum reſolutio inſequitur.

*Diverſitas juxta ſubtilitatem vel celeritatem.*

Quod attinet autem ad percipiendi potentiam, magna hominum diverſitas notatur, qualis à naturis ipſorum abunde provenit. Inde fit ut leves fugacéſque percipiendi cauſæ nonnullas raró præterire ſoleant, quin unico mentis obtutu res integras, cujuſmodi ſunt, apertè concipiant; alias interdum eædem vix tangant, aut prorſus fugiant; útque alijs itidem ſpecies rerum quantumvis adumbratæ, nulla tamen veſtigia imprimant. Enimvero ſingulis debitus ſubtilitatis gradus præſtitui videtur; ſupra quem tranſcendentes res minimè percipiuntur; gradúſque celeritatis, ultra quem ipſæ properantes copiam ſui ipſarum ad ſatis diu intuendum non faciunt. Nempe hæc facultas exornatur non ſubtilitate modò verùm & celeritate: Atque exadverſum pariter peccato non caret, ſi ad craſſitiem aut tarditatem ſpectes. Unde ſanè diverſitatem, quantacunque ex naturis hominum oritur, duplici hoc genere complecti licet.

Eòdem

Eòdem profectò recidit pleniori, quo nonnulli ſolent, modo concipere, ac ſubtilitate & celeritate, quibus idoneè ad res apprehendendas mens comparetur, vigere: Quoniam alij non ita vividè percipienti ſubtilitas deeſt; dum alij cui eadem adeſt, hoc ipſo temporis ſpatio rem citò nimis prætereuntem apprehendere incaſſum conari quidem licet, non verò eam aſſequi penès erit. In hunc modum aut incompleta atque evanida umbrarum ritu veſtigia mens percipit, qualia haud altè imprimuntur, aut tanquam indiſcreta vel confuſa objiciuntur; unde pingui duntaxat minervâ delineantur. *Nec ab his alius eſt plenior conceptus.*

Sic intelligitur ferè ſtupor, qui huic facultati vitio nonnunquam vertitur; ſcilicet non quaſi apprehenſio deficiat; verùm quòd mens aut aliud agens quod adeſt negligat; vel quòd non ſubtiliter res ipſas inter ſe diſtinguat; ideóque aliam pro aliâ apprehendens monſtra frequenter concipiat à rerum naturâ hominúmve conſuetudine aliena, iiſque inhians, atque talium admiratione occupata, ſtupore ut plurimum *Vitium ſtupor.*

mum notetur. Ad hunc modum Phædrus (*a*) hiſtoriolam tradit mali cujuſdam ſutoris, quem rex urbis ad confeſſionem adegit, ſe non artis prudentiâ eſſe medicum, verùm vulgi ſtupore factum nobilem: Ubi priùs docuerat, quo ritu ſtuporem vulgo injiceret; venditavit ſcilicet antidotum falſo nomine, & verboſis famam ſtrophis ſibi adquiſivit. Hic quippe tumido quodam ſcenæ inſervienti eloquio miras antidoti vires prædicans admirationem ſui

---

(*a*) Malus quum ſutor inopiâ deperditus,
Medicinam ignoto facere cœpiſſet loco,
Et venditaret falſo antidotum nomine,
Verboſis adquiſivit ſibi famam ſtrophis.
Hîc, quum jaceret morbo confectus gravi
Rex urbis, ejus experiendi gratiâ,
Scyphum popoſcit; fusâ dein ſimulans aquâ,
Antidoto miſcere illius ſe toxicum,
Hoc bibere juſſit ipſum, poſito præmio.
Timore mortis ille tum confeſſus eſt
Non artis ullâ medicum ſe prudentiâ,
Verùm ſtupore vulgi factum nobilem.
Rex advocatâ concione hæc addidit;
Quantæ putatis eſſe vos dementiæ,
Qui capita veſtra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiſit pedes?

L. 1. Fab. 14.

exci-

excitavit, quæ mentis luminibus officeret, útque ea obſtupeſceret in cauſâ eſſet. Et laudatus ille (*a*) autor præmiſsâ proximè fabulâ oſtendit, quo pacto adulatoriæ laudes ſtuporem itidem creant; in quâ corvi à collaudante vulpe ſtupor deceptus eſt. Interim percipiendi facultas munus ſuum tam fideliter obijt vulgo deſcripto, quàm regi inibi laudato; ſed vulgus hanc rem, qualis apparebat, ſimplex concepit, aſtutiam verò medicaſtri non calluit. Uti etiam in poſteriore exemplo, quodnam blandientis vulpis eſſet conſilium corvus ignoravit; at niſi probè vim laudationis

(*a*) Quum de feneſtrâ Corvus raptum caſeum
Comeſſe vellet celſa reſidens arbore,
Hunc vidit Vulpes, deinde ſic cœpit loqui:
O qui tuarum, Corve, pennarum eſt nitor!
Quantum decoris corpore & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille ſtultus, dum vult vocem oſtendere
Emiſit ore caſeum, quem celeriter
Doloſa Vulpes avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corvi deceptus ſtupor.

Ibid. Fab. 13.

ſenſiſſet, eſcam ore minimè miſiſſet. Neque enim ſtupet hæc facultas, dum ſpeciem rerum veram atque ſinceram reddit, magis quàm viſus, qui rerum faciem, qualiſcunque ſit, exhibet. Ac propterea obſervandum, ſtuporem hujuſmodi, quatenus ad ſimplicem pertinet apprehenſionem, ex fortiori perceptione creari, non verò debiliori; id quod oculis accidit, quum ipſis nimio fulgore perſtrictis res ſubjectæ non diſcernuntur; quâ dein ratione eorundem acies ſtupeat.

*Qualis is eſt.* Quatenus verò ad conſilium intelligendum, & quem in finem res ita effictæ fuerunt, ut talem exhibeant ſpeciem, hoc cernere non eſt hujuſce facultatis; atque ideo neque talis huc pertinet ſtupor, verùm ad eam facultatem, quæ memoriæ fidei antea commiſſis utitur, atque ex ijſdem collatis cum præſentibus indicijs nova ſibi ſenſa elicit; ſententiámque dein ſuam de ipſis latam aut confirmat, aut errores irrepentes corrigere nititur. Quod interim huc ſpectat ſtuporis genus eſt, qui impedit ne mens res capiat; utrùm id accidat ſimiles confundendo; vel in unam

coëun-

coëuntes tanquam à ſe invicem diverſas percipiat; utpote quod ſubtilitatis defectum in ſe complectatur. Exempli gratiâ; qui agri limites nôrit, univerſum illum velut integram quandam rem concipit; ager verò in ſe jugera forſan plura complectitur; quo fit ut opus ſit ſingula ſecernere, & ſeorſum quæque cognoſcere. Quibus iterum ſingulatim nomina imponuntur, ceu ſigna agellos denotantia. Et horum quævis diſcernere, numerum videlicet eorúmque notas vel indicia, hujuſce facultatis. Poſthæc quoque & agrorum poſſeſſores dominóſve, & id genus plurima nôſſe, quatenus ſimplicia ſunt, eòdem pari jure pertinent. Qualia ſanè ipſiſſima ferè fundamenta ſunt, quibus ut plurimum diſciplinæ innituntur.

Subtilitatis itaque defectus fit, quum acies mentis aut non acuitur aut obtunditur: Illud accidit vel naturæ, vel educationis pravaéque inde conſuetudinis vitio; hoc verò aut animi quovis affectu, organóve malè habente, aut corporis (*a*) mor- *Subtilitatis defectus.*

(*a*) Multa enim è corpore exiſtunt, quæ acuant mentem, multa quæ obtundant. *Cicer. Tuſc.* 1.

bo. Ad priorem autem acuendam mentis hebetudinem ea proſunt, quorum ſuprà mentio facta eſt, quando de hâc re conſulebatur; prodeſt itidem educatio accommoda ad animum regendum, perturbationéſque, quales mentem obcæcant, defendendas. Quinetiam organi vitium ex corporis morbo ſæpe pendet; quo dein ſanato, mens ad ſubtilitatem priſtinam revertitur.

*Defectus celeritatis.* Celeritatis verò defectus notatur, quum diuturnius temporis ſpatium ab hiſce requiratur, in quo ſingula percipiantur, quàm à pleriſque alijs, qui eadem apprehendunt; vel quàm ab ijſdem valetudine priùs commodiore utentibus deſideraretur. Duplex itaque videtur hujus facultatis tarditas, vel quatenus eadem conferatur cum communi aliorum, vel etiam cum propriâ alicujus commodiùs tunc temporis valentis perceptione. Quod attinet ad priorem tarditatem, ea frequenter adeò à naturâ pendere ſolet, ut ſubſidijs poſt maturitatem vix eandem adjuves, antehac verò culturâ, ijs quæ acuunt adhibitis, ad feſtinationem commodam non raró incitare licet.

licet. Contrà autem ſi tarditate nunc magis quàm antea percipiendi facultas laboret, morbus ſanè is eſt, qui dein remedijs arcendus.

Neque certè percipiendi celeritas vitio ſemper caret, verùm ſæpe malum ex nimiâ feſtinatione oboritur; qualis junioribus frequenter accidit: Ea interim frænis cohibenda; ſtudiiſque, ubi properare non detur, impedienda; quò lentiori & firmiori pede in argumentis diutius perpendendis iiſque incumbendis moram trahentes progrediantur. Nempe ex celeritate iſthàc præproperâ ſæpenumero oritur habitus ille ex rerum conſpectâ facie ea, quæ ſubter latent, quaſi aperta opinandi. Cujuſmodi quidem mentes, niſi inſtitutione emendentur, viros poſtea non niſi puerorum dotibus ornatos commonſtrant; qui dein in ſeniores levi ſuà garrulitate notatos tranſire conſuêrunt. Etenim quando ætas majora ab ijs depoſcat, ipſi ad ludendum ac circumvolitandum per ſementis tempeſtatem ſoliti virilis participes meſſis fieri nequeunt, ac propter otioſam inanitatem à conſortio dignorum pelluntur. Horum ſa-

*Celeritas nimia.*

nè hominum mentes æquis paſſibus profectum corporis non comitantur; ac, quando hoc annoſum evaſerit, illæ ex ephebis minimè exceſſerunt.

*Perceptio eorum quæ extra vel intra mentem fiunt.*

Perceptio autem vel eorum eſt, quæ extrinſecus afficiunt, vel quæ intra mentem fiunt. Prioribus nimirum accenſentur, quæ non modò corporis exteriora, verùm & interiora tangunt ſentiendi organa, præter illa à quibus mentis ſuperiores pendent facultates. Enimvero omnem ſive externorum ſenſuum ſeu interiorum perceptionem ritè habere par eſt, ubi mens feliciter opus ſuum tranſigere poterit. Diſpiciendum igitur utrùm aliud pro alio ſentiant; ac utrùm qualiter unumquodque habet, idipſum percipiant. Quòd ſi in rebus tritis & maximè vulgaribus dignoſcendis apprehenſio vacillet, adeò ut hæc pro illâ ſine hæſitatione percipiatur, aliter ac fieri ſolitum eſt, hæc facultas graviſſimè lædi exinde patet; quâ quidem ratione funditus non raro evertitur, ita ut ſpes eam redintegrandi nullatenus concipi queat. Hinc igitur evenit, ut ad morborum exitum ſalutarem vel infauſtum præcognoſcendum perceptionis integri-

tegritas plurimùm valeat, atque ut notiſſimas uſu res minimè dignoſcere gravior mentis alienatio jure habeatur, eóque deterior, quò propiùs earum notitia ad ipſa apprehenſionis initia accedat.

Eòdem etiam ſpectat, ubicunque erratur in percipiendis rebus intra mentem geſtis; veluti quando imagines inibi reconditæ pro rebus ipſis apprehendantur, aut mens haſce efflictim depereat, memoriâque præteritarum repræſentatâ deſiderio earundem flagret. Quippe prout ſanis quandoque accidit, ut quiddam valde optatum deſideratúmque menti per ſomnium tanquam præſens objiciatur, imò & quibuſdam haud ita peritis ſed tamen ſpe plenis, ut facilè credant, quicquid adeſſe ſibi volunt; ſic etiam ægris nonnunquam evenit, ut ipſi quoque eadem quæ volunt & ardenter cupiunt, ſe tanquam videre, ac ſentire per delirium opinentur. Nec diri iſtius ſymptomatis alia videtur cauſa, quod febri laborantes non raro urget, qui viridaria umbroſa lymphâ ſcatentia delirantes ſibi in conſpectu adeſſe putant. Siquidem talia propter æſtum, quem ſentiunt, ijs exoptantur,

*Erratum in ijs, quæ intra mentem fiunt.*

tantur, qualia Ageſipolidi Spartanorum regi, narrante Hiſtoriographo (*a*); qui *adultâ jam æſtate ardore quodam ignis inſtar urente corripitur. Et quia non ita pridem Bacchi fanum apud Aphytem viderat, mirificè opacorum illorum tentoriorum, limpidarúmque ac frigidarum aquarum deſiderio teneri cœpit. Quamobrem vivus quidem eò delatus eſt, ſed die à quo cœpiſſet ſeptimo, extra fanum vivendi finem fecit.* Quo ſanè ritu hâc febri correpti in hujuſmodi loca, qualia coràm intueri ſibi videntur, etiam in lecto jacentes ſe proripere nî prohibeantur, ſtudent.

*Quæ affectûs vim denotant.* Nec profectò percipiendi facultas leviùs læditur ab ijs, quæ metus objicit, uti in morbis, qui nervos afficiunt: Qualia nonnunquam totos ferè exercitus occupârunt. Quum verò eadem horúmve ſimilia morbos conſequantur, inter peſſimæ notæ ſigna meritò recenſentur. Quóque longiùs à vero rerum ſenſu hanc facultatem abducant, eò plus periculi imminet. Idque etiam aggravatur, quando nullæ metûs cauſæ extra morbos ipſos dentur. Hoc quippe

(*a*) Xenophonte.

morbi

morbi vehementiam declarat, eúmque altè mentis arci inſidere, quòd iſtud vitij intimis naturæ penetralibus hæret, neque propter injuriam ab extraneo quopiam fomite illatam, ſed à mentis ipſius organis gravius aliquid paſſis procreatur.

## Cap. X.

## *De Memoria.*

*Memoriæ conditio in ætatibus ſingulis.*

POSTEAQUAM mens ſingula perceperit, quæcunque attentionem mereantur, ea memoriæ dein cuſtodienda committit. Siquidem nulla datur recordatio, ubi attentio priùs non excitata fuit. Id quod crebrâ repetitione primâ ætate fieri conſuevit. In hunc quippe modum infantes, qui recèns nati vix quidquam, quod ijs occurrit, in memoriâ tenent, paulatim eorum, quibuſcum aſſiduè verſantur, faciem vocémque ſubinde intuendo atque audiendo memoriæ affigunt. Recordandi enim facultas in ſequenti ætate ſe pandit, ac ſenſim augetur uſque ad adoleſcentiæ vigorem. Proinde ut experientia rerúmque uſus plura advertere monet, qualia juvenes fugiunt, iſthæc ſanè poſtea homines memoriæ tradunt quæ utilia eſſe obſervârunt, qualiáve præcipuè ſibi

ſibi curæ ſunt. Ac procedente tempore eorum ferè ſenes meminerunt, quæ ipſi curant; cæteráque vix aut leviter mentem tangere, aut veſtigia non altè eidem imprimere conſuêrunt.

Hinc igitur conſtat attendere priùs ac fortiter apprehendere eum oportere, quàm memoriæ committere; ſiquis, ut fidem hæc præſtitura ſit, optet. Ideóque qui memoriam fidam fore ſperat, curabit antea ut rem prorſus intelligat, quàm cuſtodiæ memoriali tradere annitetur. Frequenter quippe evenit, ut qui ſe rei cujuſvis oblitos queruntur, nunquam hanc ſatis calluiſſe deprehendantur. Et nil dein miri ſi eadem ſuperficie tenus impreſſa, nec ſanè admodùm intellecta, ex cuſtodiâ pariter negligenti dilabatur. Enimvero plenioris rerum perceptionis opera talis videtur, qualis eas ordinatim ac propriè ſecundùm claſſes, vel genera ad quæ referuntur, diſponat. Quo quidem pacto vix memoriæ oneri ſunt, præ illis quæ ſingulatim & ſeorſum ab alijs loca ſibi vendicant, neque connexæ hærent, aut aliquatenus ad eas pertinent, in quantum ſaltem cognitæ fuerunt. Pari dein jure ſi momentum earum non

*Attentio & apprehenſio ad recordandum utiles.*

non perpendatur, cuſtodia curâ ac vigilantiâ deſtituetur, prout ejuſmodi notitia deſideratur.

*Et exercitatio.* Quapropter curioſiùs attendere atque perſpicere oportet, dein uſu aſſiduo memoriam exercitare; quæ exinde vires colligit veluti quævis alia facultas: Cui ſi digna duntaxat mandentur, quæ opus erit ſæpius in mentem revocare fida magis indies futura eſt.

*Anguſtia memoriæ.* Veruntamen nimis ſolicita de paucis cura anguſtam reddit memoriam, utpote quæ totam mentis attentionem occupent. Adeò ut ſiquis paucis retinendis aſſueverit, vix ille plurium poſtea meminiſſe valeat. Vis quippe memoriæ in complectendis rerum ſimul plurimarum veſtigijs cernitur: Hæc tamen non tantâ ſemper tenacitate gaudet, quantâ ea quæ anguſtior eſt.

*Memoria juniorum, maturorum.* Aliud enim videtur res bene multas comprehendere; aliud diutius non niſi ſelectas retinere: Illud quidem genus junioribus tribuitur; hoc verò illis, quibus facultas judex maturuit: Qui nimirum ſum-

ſumma rerum mente agitantes, ea ſola decerpunt ſervanda, quæ majoris ſunt momenti, qualiáve diſtinctiùs habere expedit. Unde talium memoria tanquam pretioſorum theſaurus apparet; quando ſecùs nugarum rerúmque vilium farrago cum cæteris indiſcreta expérſque examinis videatur.

Quanquam igitur poſſe plurimā haud ægrè in memoriâ unà recondere oſtendat robur vigentémque ætatem, vitio tamen hæc ipſa caret, quæ ea ſola tenet, quibus opus ſit ut ſententia ritè de ijſdem feratur. Inanis ſiquidem ſpes eſt, quæ vigorem in ætate jam vergenti velit; ubi optima ea ducenda eſt memoria, ex quâ nulla apprimè utilia ejus fidei credita, modò eorum numerus vires non exceſſerit, elabuntur. *Ipſius integritas.*

Itaquē modò memoria pro viribus tenax ſit, integram eam cenſere licet, quamvis tot támque à ſe invicem diverſa, quot juvenis addiſcere valebat, jam ſenior tenere nequeat. Notandum interim memoriæ vires non eſſe æſtimandas ex rerum numero, niſi ipſæ ſingulatim reponantur, inter quas nulla intercedit menti agnita affinitas cognatióve, *Vigor.*

natióve, & ubi nulla alia datur cauſa; quare ad hoc vel illud genus referuntur, aut ad aliam aliámve claſſem pertinent. Nempe ex eo quædam oritur reminiſcendi ars, quòd varia in unum aliquid collecta in memoriâ dein, quaſi ſingulare hoc ipſum eſſet, recondantur: Verùm quod artis eſt, id naturæ licèt opituletur, non tamen hujuſce vim auctam eſſe demonſtrat.

*Memoria ſenilis.* Quod attinet autem ad memoriæ tenacitatem, alia eſt ſenilis ab eâ, quæ priori ævo competit: Hæc quippe res eidem recenter impreſſas vividiùs habet; illa verò ſe quondam vigente peractas potiùs recordari conſuevit: Imò & grandævis, quæ intermediæ ſunt, frequenter ex memoriâ excidunt; dum earum, quæ primo vitæ tempore fierent, accuratè reminiſci queant. Cujus rei ratio videtur, quòd dum validiùs attentio ſibi excitaretur affectuum animi vehementiorum ope, qui tunc temporis corripuerunt quando in fortunæ palæſtrâ exercerentur, res ab alijs geſtæ inſigniùs in ſe deſignatæ ac quaſi collimatæ pectus intimiùs tangerent, atque amariùs urerent. Hæ dein eoſdem quiete jam fruentes neque negotijs divexatos, verùm extra tela

ejuſmodi

ejuſmodi poſitos non tam vividè percutiunt; ídque quoniam ad ſtudia, quæ virorum ingenia incendunt, ſenes eorundem minimè æmuli vix poſtea animum adjungunt. Quibus vita quidem producta ſæpius ſcenam eandem apparavit; qualem proinde nonnunquam ad extremum uſque faſtidium ſpectare ſibi forſan inauſpicatò contigerit. Quemadmodum illud, quod mirâ novitate ferit, animum fortiùs irritat, mentémque ad advertendum atque apprehendendum allicit, altiúſque memoriæ hærentia ſui veſtigia relinquit.

*Amor & ira ad reminiſcendum conducunt.*

Animi porrò affectus, à quibus præſertim res impreſſas memoria tenet, amor iráque ſunt; quorum prior ſi quid amplectatur, vix unquam idipſum à pectore divelli ſine acerrimo dolore poteſt: Utpote qui tanquam amantis partem admiſit, quodcunque in mentem illius auſpicijs irrepſerit. Poſterior verò ipsâ vi ſuâ in memoriam radices hujuſce rei agere ſolet, quæ ad iraſcendum commovit; cujus cauſa niſi tollatur, at in irritatione perſiſtat, tum demum iræ iſte furor in obfirmatum exire odium conſuevit.

Nihil

*Minæ inimicorum affiguntur memoriæ.*

Nihil ergo memores valentiùs reddit, quàm inimicorum minæ, quas quidem tota mens advertit, quippe metu ſibi infenſiſſimorum excitata; quocirca omnes in ſubſidium facultates cientur. Nempe hæc, quæ imagines fabricatur, metu ac interdum terrore occupata perſonam quamvis formidandam exhibet, quæ raròqualiter reverâ habet, appareat, at potiùs tanquam mille mala complectens; quæ graviora ſcilicet vel leviora æſtimantur pro inimicitiarum gradu modóve, quem hoſtis ingenio congruere, non incredibile eo ritu affectis videtur. Illa, quæ judicis partes ſuſtinet, quando hoſtem eſſe decreverit, quodcunque ab ipſo dein provenit, etiamſi ſub commodi ſpecie offeratur, damnat. De verbis mox innoxijs venenum elicitur; laudéſque tanquam illecebræ hamum obducentes creduntur. Sententiam dein profert, cavendum eſſe ab omnimodâ in poſterum injuriâ, quæcunque ex iſtius parte inferri poſſit. Nimirum idipſum curat præſagiendi facultas, quæ pervigil ſingula non ſine maleficij formidine luſtrat, atque itidem ex eodem petitis fonte aggravat. Atque ita qualia iſthæc intelligit, talia memoriæ princeps demum facultas

cultas altiùs imprimenda atque arctiùs cuſtodienda tradit.

*Et pericula & egeſtas.*

Propterea pericula undiquâque imminentia tenacitatem memoriæ præſertim tuentur; adeò ut ijſdem, ultra quàm facilè credi poteſt, fida eſſe obſervetur, qui per rerum diſcrimina victum quæſierint, quíque auxilijs deſtituti fuerint, qualia ex arte reminiſcendi alijs adſunt. Quod ſanè patet ex illis, qui artem numeros ſcriptis deſignandi minimè addidicerunt, attamen accuratiùs eoſdem memoriâ tenent, imò & rationes inſigni rerum varietate redditas difficiles atque implicatas, diſtinctè quaſi deſcriptas calluiſſe deprehenſi fuerunt. Quorum enim reminiſci nequit quiſpiam neceſſitate adactus? Quantum illius memoriæ viribus tribuendum eſt, qui nullam aliam aut vitæ ſuſtentandæ aut etiam ipſius triſtitiæ demulcendæ rationem novit, quàm quæ exinde proficiſcatur, aut ex eo pendeat, ut memoria minimè fallat? Quod quidem videre eſt in hiſce, quibus natura viſus negavit; qui tametſi non ſemper tenaciori ſupra cæteros memoriâ dotati ſint, ſubinde tamen admiratione digniſſimam ejuſdem potentiam oſtendunt;

quæ ſanè utiliſſimi ſensûs, quo carent, vicem ijs præſtat.

*Metus nocet.* Quæcunque interim de ſolicitudine ſuperiùs dicta ſunt atque anxietate, quâ mens ad res cuſtodiâ continendas exuſcitatur, eadem ad metum non ulteriùs referuntur, quàm prout aliquis ejuſdem gradus homines magis attentos, cautos ac vigilantes reddit. Idem quippe nimius memoriæ officit; propter quem plura mox excidunt, quæ eidem mandata fuerint, aut præſtò non ſunt evocanda, quotieſcunque eorum præſentia utiliſſima habetur. Siquidem iſte affectus (*a*) mentem ab advertendo reliqua abducit, omnéſque ejus facultates eòuſque occupat, ut, quaſi alienæ non ſuæ parerent menti, illius non hujus mandata exequantur. Unde id ſolum, quicquid præcipitur, frequenter objectum manet menti, qualis gradu metûs intenſo corripitur; quamdiu ſaltem hic ipſi imperat.

(*a*) Pavor omnem ſapientiam ex animo expectorat. *Ennius apud Ciceronem.*

Propte-

Propterea ne meticuloſi fiant homines, idipſum per educationem non ita mollem (*a*) curare æquum eſt: Ubi labor necnon dolor, cæteráque qualia à naturâ proficiſci ſolent, neque vitari omnino poſſunt, tanquam extimeſcenda teneris proponi non debent; ideóque talis laudanda eſt, quæ potiùs contra timiditatem pectus muniat, quàm eidem obnoxium reddat. Indigna enim viro ea perturbatio flammam indies creſcentem extinguet, ſine quâ ad maturum evehi vigorem non licet. Imò nec ſine eâdem nervorum ſyſtema firmum futurum eſt, nedum inconcuſſum manere poterit; à quo memoriæ tenacitas in primis pendet. Enimverò ea, quæ ut mens ſui ſit juris faciunt, memoriam juvant roborántque, adeò ut inibi diſtincta varijs ac proprijs quæque notis colluceant. Ex quâ imaginum memorialium propriâ claritate fit, ut juſſu facultatis principis in promptu ſuppetant, quáſque ipſa velit, *Ideo præcavendus.*

---

(*a*) Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus nervos omnes & mentis & corporis frangit. *Quintil.*

hæ inter alias emineant; planè quaſi animo præſenti obſequium præſtarent.

*Alacritas bona.*

Adhibentur autem utiliter ad memoriam firmandam ejuſmodi auxilia, quæ animi alacritatem pariunt, nec tamen corpus prægravant. Inde fit ut meraciorum uſus perpetuus nimiúſque memoriam debilitet; non ſolùm eo quòd efficiat ut mens leviùs ſingula advertat, ſed quia facultates ipſius lædit, tonúmque ipſum nervorum reſolvit: Quum tamen modicus ac tempeſtivus eorundem uſus recordandi facultatem non minùs vegetam, nec tenacitatem ejus magis infidam reddit.

*Methodus auxilium memoriæ.*

Nec ſiluiſſe itidem hîc loci eſt artem, quæ plurimum ad reminiſcendum valet, qualis ſanè maximè ab analogiâ pendet; ubi ſingula, licèt ferè numero carentia, quæ coacervata aut confuſa nunquam recordari poſſe ſperes, à primarijs iiſque paucis fontibus deducendo, & in ordines naturæ eorum proprios redigendo, affinitatémque & cognationem ſervando, memoriâ haud ægrè teneri queunt. Libet certè digitum ad analogicam methodum potiſſimùm intendere, quia ope ejuſdem mens perci-

percipit diſciplinarum fructus; ideóque naturæ magis conſentaneum videtur eoſdem pari ratione in memoriâ aſſervare, ac eâ per quam primùm collecti ac traditi fuerint. Qualis quidem methodus non multùm ab iſthâc abludit, quæ in gentium deducendis proſapijs à generum ſingulorum capitibus obtinet; ubi eâdem ſtirpe oriundæ ad generis autorem referuntur, atque ita quaſi colligatæ tanquam unum aliquid memoriæ mandantur. Hâc profectò arte quiſpiam ad diſcendum idoneus non modò voces linguarum, quibus clariſſimi autores vetuſtis temporibus æquè ac recentioribus opera ſua ditârunt, adornârúntque, tenere poteſt, ſed & res ipſas, quas denotant, quatenus in rerum naturà plerumque conſpiciuntur, mente ſimul complecti. Idque laboris intra eoſdem temporis terminos conficere ferè licet, qui adoleſcentiæ literarum ſtudioſæ præſtitui conſuêrunt. Quo more ſolenniter nec non uſu repetito in conſuetudinem tandem abeunte, poteſtas quædam, prout experientiâ ac diſcernendi facultate quiſque floruerit, ex arte naſcitur, & quæ veluti occulto & incredibili modo in immenſum nonnunquam creſcit.

*Et carmen.*

Quinetiam inter artis hujus adminicula fuêre carmina, quæ memoriter vix ullo labore recenſentur. Etenim inventa ejuſmodi non modò ad docendum conducunt, verùm etiam ad animos mulcendos oblectandóſque; eóque tendunt ut alliciant perſuadeántque; ac demum ut quicquid diſciplinæ, inſtituti aut conſilij traditum eſt, illud memoriæ affigatur. Ubi certè numerorum modorúmque ex Muſicâ petitorum ope plura utilia ſcitúque digna memoriæ mandari poſſent. Hujuſmodi erat priſcum illud Heſiodi carmen, in quo tanquam perpetuo anni temporum rationario variam cœli faciem, quatenus ea ad ruſtica ſpectat opera, tradit. Simili conſilio idem Senex hiſtoriam naturæ, quatenus in ſacris gentilitijs adumbraretur, Deorum Generationis nomine deſcripſit.

*Et diſciplinæ artificium.*

Prout autem antiqui Muſicam excolentes, ut ita dicam, memorialem, ſapientiæque monita & conſilia priùs grata reddentes, quaſi hâc arte condita aſſervare aggreſſi ſunt; ſic philoſophi ſequentibus ſeculis ad idem præſtandum artificio quodam in diſciplinis uſi ſunt, quas polito ac ſoluto ſermone tradiderunt. Inibi quidem arctiore

ore formâ & intra anguſtiores cancellos molem materiæ copioſiorem cogere, & in peculiares ſibimet theſauros recondere potuerunt: Quæ etiam in uſus varios nullo negotio depromenda, ſicuti quoque imbecilliſſimæ cuivis memoriæ, utpote elaboratè preſſéque & concinnè diſpoſita, cuſtodienda foret. Nempe omnia illic vel unico pendebant filo, vel ſaltem ita inter ſe cæteris devincta, ut uno aliquo diſciplinæ velut ramo moto reliqui connexi inter ſeſe motibus quique ſuis trepidarent.

Exinde itidem aliæ in auxilium venêre artes, quales dum depingerent res ipſas vividiùs adjecto ornatu proprio, variiſque qui ſingulas decerent loco & habitu, memoriæ ad retinenda, quæ jam addidicerat, vires ſuppeditarent. Sic illi aures, ſic oculos in memoriæ ſubſidium conduxerunt, atque utile jucundo miſcuerunt, ut quicquid amœnum, quicquid ſingulis volupe eſſet, iſthoc ut ſimul non modò fortem conceptionem, ſed & diſtinctam recordationem adjuvaret. Siquidem omnes iſtiuſmodi artes non niſi varij videbantur oſtendendi atque attentionem excitandi modi; *Artium auxilia.*

utrùm ijdem fierent per ſingulorum ſenſuum peculiares ac unà conjunctas voluptates, vel per rationum ſimilitudinem, à quarum unâ cognitâ prolixæ rerum ſeries ordinatim ita diſpoſitæ eſſent, ut & mens diverſitatem ex juxtà collatis, ac ſimilitudinem propter res ipſas cognatas eâdem aut pari ratione ſe habentes pervideat teneátque. In hunc modum ſalubres menti dapes, aliâ atque aliâ formâ ſubminiſtratas non exſatiare viſum eſt, ſed perpetuò tanquam de novo apparatas eidem placere.

*Modus repetendi jucundus.* In quantum proinde modus quivis novus res eaſdem exhibendi in ſe complectitur præcognitarum repetitionem; ubi & haſce recolere, ipsáſque denuo, quæ in memoriæ tabulas relatæ ſunt, concinnare frequentiùs oportet; in tantum is ad earum reminiſcentiam utilis eſt. Quo in negotio qui tùm peculiarem ſibi cogitandi methodum, tùm animum ſuum fortiùs ferientia aut pectus blandiùs tangentia advertunt, hi talia rectiùs ad amuſſim ſuam diſponere poterunt, qualia memoriter callere optant. Eóque tandem pacto hiſce ſtudijs ad memoriam adhibitis, quâ ratione com-

commodiſſimè juvent, tenacem ejuſdem firmitatem, quatenus per naturam licet, ipſi adipiſcantur, fruíque valeant.

*Hiſtoria viri ex cujus memoriâ deſuetudine omnia exciderunt.*

Quò clariùs autem liqueat, quomodo ex memoriâ res delentur, atque iterum ibi renovantur, hiſtoriam cujuſdam ex noſtratibus hîc deſcribere fas ſit; qui poſtquam ad maturam ætatem pervenerat, vernaculæ linguæ oblitus eſt, ac dein eandem addidicit. Hic quippe vir peregrè profectus eſt in regionem, ubi rex legibus ſolutus tunc temporis rerum potiretur,ibíque ſuſpicione neſcio quâ obortâ hunccine nuditatem publicam ac ſolitudinem illic factam explorare, in carcerem causâ indictâ repentè conjectus eſt. Situs carceris inſularis erat, ſemotus interfluente undâ ab hominum ſedibus; atque intus ita factæ ædes, ut ſeorſum ab aliis cuſtodiri poſſet: Ubi neque facies cujuſvis conſpecta eſt, niſi ipſius, qui victum eidem quotidie afferre ſolitus eſt, homuncionis clavibus onerati,quem neque vocem unquam edentem audivit. In editiſſimo carceris cubili ſubter tigna ſtratus eſt lectus; & per parietem pedes aliquot craſſum dubiam lucem interdiu rima anguſta intromittebat. Illic concluſo neque legere neque

neque ſcribere licebat, neque intueri aliquid ultra cameræ hujus anguſtias; ubi neque quendam loquentem exaudierat, nec ipſe loqui per ſex ferè menſes auſus fuerat. Abſumto dein hoc tempore penitus libertatis oblitus fuerat, neque gravis tandem arcta ibi cuſtodia, cui jam aſſueverit, videbatur: Adeò ut deſiderio nullo aut diei ſplendoris aut humani conſortij in poſterum tangeretur. Et hâc quidem fortunâ vir ille plures pòſt annos utebatur, donec oblivione prorſus obrutus fuiſſet. Poſtea inertem demum reſpexit libertas, quo tempore hic jam prorſus alieni juris factus, neque pedibus ad incedendum nec linguá ad eloquendum uti potuit: Verùm paulatim ad ſe rediens atque in patriam navigans verba ſermonis olim ſui apud noſtrates iterum didicit; in primis quidem hæſitanter velut infans conatus aliorum dicta retulit, geſtivítque mirè quædam recognoſcere, ac reminiſci. Attamen biennium circiter excurrit, priuſquam loqui promtè & expeditè, quomodo antehàc valeret.

*Memoriam valere bonum.* Nil proinde miri, ſi medici ad memoriæ ægrorum firmitatem ſpectant, antequam de morborum difficilium exitu ſententias ſuas

pro-

proferant ; niſi cauſa aliqua ſubſit, cur memoria deficiat, qualis hæc ipſa ſuprà tradita, qualíſque deſuetudini non ægrotationi debetur. Accuratæ interim recordationi præteritorum à ſe geſtorum temporúmque ac locorum plurimum tribuendum eſt ; tametſi non modo perceptrix, verùm & imaginatrix atque ipſa facultas judex à vero rerum ſenſu aberrent. Senilem tamen imbecillitatem æſtimare par eſt ex eorum oblivione, quæ in priori vitæ parte jam juvenes didicerant, potiùs quàm ex hiſce, quæ nuper fuêre menti ſubjecta : In junioribus verò ad oblivionem potiùs recenter exhibitorum ſpectandum.

*Memoria apud inſipientes quandoque valet.*

Interea dum memoriam intuemur, quanti ſcilicet momenti ſit ad res cognitas menti ſubjiciendas, utpote ſine cujus operâ præſentia ſola eidem ſeſe ſiſtunt, obſervare non abs re erit, eos, qui memoriæ felicitate gaudent, haud perpetuò ingenij acumine dotari, imò & memoriam fidelem inſipientiæ comitem non raró inveniri. Qualis ſanè rei cauſa eſſe poteſt, quòd memoria hominum vulgarium ſingulis indiſcriminatim collectis referciatur, ex quâ farragine quum trita nemini non nota

nota abunde depromant, hæc ſtatim evileſcant, atque ut ipſi pariter autores tanti non habeantur, faciant. Nec quidem mirum videri poteſt, ſi qui ſine delectu cumulârunt, eadem etiam ſine ipſo proferant. Neque enim ſapientiæ eſſe cenſetur, memoriam oſtendere vilium ac nullius pretij rerum onere cumulatam. Quòd ſi, ut non rarò evenit, hæc vilia apud ipſorum poſſeſſorem valent longè ſuprà quàm apud cæteros, qui iſtiuſmodi rerum pretij judices agniti ſunt, deridendum ſæpe talem propinant. Nec illud profectò tacendum, quod nonnunquam eveniat, ut memoriæ bonorum pauperrimi laudatos propter eadem invidiâ proſequantur; ideóque talia depretient, ubicunque tot tantorúmque copiam memoria florens ſuppeditat, opibúſque ſuis affluit, quibus æmuli indigent. Nempe tales ſæpe theſauros ipſi per totam forſan vitam ſedulam ac negotijs deditam conquiſiverunt, tanquam hoſce quos attentione atque recordatione digniſſimos exiſtimârunt: Alij verò, quibus occaſio eoſdem nanciſcendi non data, aut quibus elapſa fuit, nunc quaſi deſpectui habentes videri volunt. Ac hiſce quidem modis dotes naturæ ſæpe ſordent aut contem-

contemnuntur, ſcilicet vel uſu eorundem imperito, ac non ritè excolendo aut propriam ipſis dignitatem conciliando; vel etiam eo quòd tantum valeant, invidiam apud iſtos, qui deſiderant, pariunt; qui dein, quicquid ars diligentiáque efficere poſſunt, eodem omnino utuntur, ut minoris æſtimentur, útque naturæ largitio fructu careat; quæ tamen dotes omne pretium excedere æquis æſtimatoribus videri poſſunt.

*Anguſta memoria commodior quàm larga.*

Veruntamen larga opum memoria tantum requirit culturæ, attentionem tam ſtrictam támque exquiſitam perſpicacitatem, cujus ope res nauci ac ſordentes redundantéſve penitus expungantur; ut talem vix tam probè cuſtoditam atque tam pulchrè commodéque ordinatam invenias, quàm quæ anguſtis finibus contenta eſt: Ubi ſcilicet pauca, quâ licet arte quóve ingenij ſtudio, diſponuntur, ornantur, & ad omne opus comparantur, quodcunque à recordatione ſperari poteſt. In hunc modum ſententias non ita multas ad normam ſensûs communis prudentiæque prolatas, probè intellectas atque in memoriâ repoſitas pleriſque ad fructus ſcientiæ

entiæ decerpendos utiles fieri : Quî quidem, earundem virtute atque operâ ad ſeſe regendos per vitæ ſuæ ſtadia adhibitâ, ſucceſſibus minimè carent , dum illi qui dotibus longè ſuperioribus ornantur, tametſi laboribus aſſiduis mentis facultates ad torturam uſque fatigent, vix æquis paſſibus hoſce comitari ad altiora aſſurgentes queant.

*Memoria anguſta cum infidâ confertur.*

Neque etiam pauca, quæ anguſtæ tali memoriæ mandantur, evadere ſolent, nec inibi manentia confundi ; quoniam ea ſunt quotidiani apud negotiantes uſûs, ideóque frequentiùs repetita denuo experientiâ confirmantur. Interim præter hoc ipſum memoriæ aliud genus eſt, quod rarò itidem rerum illic conditarum ingenti numero laborat ; ídque vulgò infidelitatis arguitur, quod & cum ingenij acumine ferè conjunctum obſervatur. Itaque eæ mentes quæ vividè ſentiunt, quâ ratione res ad ſe invicem habent, & quâ conveniunt, quâve diſſident, neque ulteriùs ad naturam earum advertunt, quàm quatenus hæc uno eodémque momento animum percellit, citò eaſdem dimittunt nec tempore ſatis longo detinere ſolent, quo altiùs

ùs memoriæ inſideant hæreántque. Enimvero talibus nova ocyùs enaſcuntur, quæ tanquam tenues quædam flammæ repentè oculos perſtringunt, & repentè ſine indicijs in auras evaneſcunt. Qualia quidem ſenſa ſicut haud ſegniter mentes alienas irritant, ita etiam ab ijs memoriæ ídque non per incuriam traduntur : Quoniam meteororum ad inſtar ex improviſo oborta luménque ſuum inſuetum jaculantia mentes præſentium & nil tale opinantium mirum in modum occupant ; neque profectò pòſt enarrata minùs audientes capiunt. Hinc igitur ingenij oritur potentia, quod facultates tardiores aut dormitantes argumentis raptim adinventis, confeſtim ſeparatis vel connexis expergefacit ; quæ quidem vulgi opinione nihil ejuſmodi referrent. Qualia ſanè quò fortiùs excitent atque acriùs irritent, eò vividiùs ſentiuntur, eò faciliùs tenentur : Quum tamen mentem, unde proveniunt, non inſolita & non affixa prætereant, quæ dein ad nova ſtatim creanda ſe convertit, potiùs quàm ad priùs edita accuranda animum adjungat. Atque ita ad recenter naſcentia protinus ſe conferendo, nec præterita recolligendo, nil miri ſi tali accidit ut ſæpe fœtus ſuos quaſi

quaſi expoſitos derelinquat, atque in alios leviter amores tranſeat. Quod ſubitò enim in mentem venit, idipſum neque diu ibi manere ſolet; atque ita prompta atque ad novos ſemper excipiendos hoſpites parata ingenia, cum voluptate eos amplexantur, at non diu cum ijſdem verſari cupiunt. Unde demum memoria tanquam nimiùm lubrica talibus objicitur.

*Quâ ratione immutatur memoria.* Obſervandum præterea quòd memoriæ vires magis à corporis robore pendeant, quàm quæ ad aliam quamvis mentis facultatem pertinent: Quod quidem in causâ eſt, cur iſthæc augetur, atque defloreſcit, prout corporis vigor increſcit, aut flacceſſit. Ad hunc modum infantium recèns natorum memoria vix quicquam retinet; nec ab eodem ritu longè deflectit ejuſdem in ſenectute extremâ conditio: Hæc quidem rerum quarundam geſtarum primùm eidem affixarum tempus ferè in ultimum recordatur, ſed recenter impreſſarum obliviſcitur; illi verò eadem excidunt poſtquam fuêre impreſſa, niſi perpetuò renoventur: Sicut ipſa ad nova diſcendum apta eſt, priorum immemor; dum altera ab immutatione ac novitate abhorret, quia magis ea tenet

tenet, quæ primùm didicerat. Hæc autem diverſitas naſci videtur ex organis primùm humidis ac mollibus, dein exiccatis ac rigeſcentibus; unde demum flecti vix queant, planè quaſi ad poſtremum quoddam memoriæ ſceleton referrent; ubi ſtamina ad primi toni normam diriguerunt, & parum admodum, quod tempore intermedio acceſſerat, jam reſiduum eſt. Mediâ interim ætate utraque retinet memoria, prout recentiùs vel ſuperiùs ſingula geſta fuerint; quando ſanè hæc facultas, perinde atque corpus vegetum, arctè quæque comprimit, oſtendítque eadem, prout priori vel poſteriori tempore in ipſam relata atque ſignata fuerint.

*Quâ ratione memoriæ fidelitas non declarat aliarum mentis facultatum præſtantiam.*

Hinc itidem conſtare poteſt, quâ de re memoria inſignis non ſemper declarat reliquarum mentis facultatum præſtantiam; quin, quod ſubinde notatur, intelligentiâ minimè clari dotentur memoriâ fidâ ac tenaci: Idque quoniam juniores ſæpe eâdem fruuntur, nec eò prudentiores aut ſaniori mente præditi inde deprehendantur; neque ſanè ij perpetuò ſunt, quibus imaginatio magis vegeta obſervatur. Mens quippe florente jam corpore minùs excolitur, nec pariter atque illud augetur,

neque pleniùs percipere aut aptiùs decernere, aut ſenſa vividiori aut utiliori modo proferre atque enarrare poteſt. Atque ita quantumvis viro qualis puerorum eſt indoles prævaleat, & quamvis memoriâ teneat more forti, diſtincto atque diutius durante res in eandem relatas; hæ tamen inutiles evadunt inopiâ virium cæterarum mentis facultatum; quæ quidem haſce ſeu notas ſive indicia teſtimoniáve in uſus varios dextrè ad amuſſim perſpicuéque adhibeant. Enimvero memoria optimè habens bibliothecæ aut mentis armamentarij virtutes complectitur; ita ut prior, perinde ac poſterior, ſæpe inutilis domino maneat, qualis ad memoriæ vel bibliothecæ inſtructiſſimæ uſum indoctus imperitúſve accedit. Quandoquidem autem memoria intra mentem armamentarium eſt, ad eandem homines meritò ſpectant tanquam commodam futuram cæteris facultatibus opitulandis atque augendis: Quamprimùm verò aliud conſtiterit, defectus iſtiuſmodi mentis citiùs retegitur, ejúſque infirmitas apud vulgus proditur, quæ capacis memoriæ operâ uti neſcit. Neque alia videtur cauſa cur imaginandi facul-

facultas aliquando memoriæ viribus impeditur; veluti cùm fructibus alienorum operum in memoriam affatim tranſlatis, obruta multitudine eorum variâ jacet imaginatio, neque ſua edere poteſt, verùm forti recordatione ſermonum atque apud autores deſcriptorum ab operibus ſuis abducitur; mens quippe nec alia concipere aut advertere didicit, niſi qualia ab alijs prolata novit. Hic proinde mentis morbus ex tali ortus memoriâ, non diſſimilis illi corporeo videtur, quo alimenta facie haud immutatâ apparent, poſtquam per inteſtina effluxerunt. Novi ſanè adoleſcentem, qui quamvis amaret, amaſiámque ſibi devincire poëſi ſtuderet, ſic tamen memoriæ viribus ſubactus eſt, ut nullos pangere poſſet verſus, niſi ex hemiſtichijs poëtarum compilatos, quaéque omnibus ferè primis labijs Poëtas ſalutantibus notiſſima eſſent. Querebatur ſibi eodem ritu dum cætera componeret accidere, atque ſe poſſe autorem recolligere locutionum, omniúmque ferè, dum ſcriberet, ſententiarum, quales ſibi in mentem venirent.

*Eadem remedia & memoriæ & corpori proſunt.*

Illud ſiquidem patet, quòd memoriæ dotes plurimùm à vigente ac firmâ corporis

ris valetudine pendeant, quódque eadem in univerſum remedia adhibenda ſint ad ipſam reſtituendam, quandocunque aut imbecillitate aut defectu quovis laboret, atque hæc ipſa, quæ corpus juvant. Exinde verò fit, ut firmitas atque promtitudo memoriæ certius evadat ſani corporis ac vitalium functionum integritatis indicium, quàm cujuſvis alîus ex mentis facultatibus vigor ; tametſi etiam pro conceſſo habeatur, quòd ex iſthâc mentis ſanitas non ſemper pariter declaretur.

## Cap. XI.

## *De imaginandi facultate.*

UTRIQUE facultati percipiendi ac reminiſcendi jam creſcenti accedit imaginatrix, quæ velut in ſpeculo imagines conceptorum menti exhibet, juvátque ut alijs facilè concipienda prodat. Cujus quidem operam cùm ad percipiendum tùm ad recordandum ſubinde mens adhibet; aſt quæ tota pendet à rebus jamjam perceptis, quas memoria eidem ſuppeditat. Quî fit ut errores perceptionis ac memoriæ lapſus in imaginationem pertranſeant, eámque à verâ rerum facie depingendâ abducant, haud ſecus ac propria ipſius facultatis inepta indoles imbecillitáſve, aut organorum ejuſdem intemperies. Dein verò quò feliciùs imaginandi vis partes ſibi peculiares *Imaginandi ratio.*

culiares agit, ac imagines ijs quæ percipiuntur ſimiliores effingit, eò plus periculi ab errore menti imminet, ne imaginem pro re ipsâ amplectatur.

*Colores deſumti ex rebus perceptis & memoriâ retentis variè componuntur.*

Paucis interim perceptis hæc facultas variè utitur ad opera ſua formanda, non aliter quàm pictor ex coloribus haud ita multis diverſimodè commiſtis imagines innumeras reddere potis eſt. Quin & quæ ex maximè communibus notiſſimíſque deſumuntur, hæc fortiſſimè mentem movent. Proinde quò longiùs ab hiſce deflectit imaginatrix, eò minus vigoris oſtendit; utpote quæ non ita palàm res facit, quum non ſit cujuſvis eas intelligere per ſimilitudines ab hiſce deſumtas, quæ in conſpectum omnium minimè veniunt, ſed in abdito paucis nota jacent. Vera proinde imaginandi vis in delectu eorum cernitur, quæ in naturâ rerum ſita aut vulgari uſu, aut etiam hominum opinione celebria jam facta frequenter attentionem excitant; unde ipſa ſcilicet ſatis ubique cognita, ad alia aperienda atque illuſtranda quæ obſcura ſunt, dextrè transferri queant. In hunc modum imaginandi potentia colores figuráſque, ſonos, ſapores, odores ac facultates cæteras cor-

poribus

poribus quibuſdam à naturâ vel arte peculiares ſenſibus perceptas ſecernit, utitúrque ijs ſeparatis ad depingenda quæ opus ſunt; planè quaſi pictores coloratorum corporum genera ſingulatim comparant, quibus juxta artis ſuæ leges ritè commiſtis, in tabulis ſpeciem formæ cujuſvis ſimilem delineant. Ubi ſanè accidit ut, ſi colorata ejuſmodi corpora non in tantum appropinquant ad rei ipſius colorem, quantum ad dignoſcendum ab alijs omnibus ſatis eſt, hæcce dein corpora minùs utilia ad pingendi conſilium futura ſint; unde ſi hæc ſola artifex apparavit, imago ſaltem ratione coloris deficiet, quamvis ars aliter pictori non deſit. Eâdem prorſus ratione ſi res perceptæ nimis raræ ſint, aut ſi quæ aptæ ſunt ex memoriâ dilabantur, etiamſi imaginandi facultas munere ſuo præclarè fungi valeat; attamen inter alias haud facilè eminebit, utpote quæ idoneorum indiget. Verùm non modò coloribus deſtituta facultas muneri defutura eſt, ſed & ſi exemplaria optima non ſuppetunt, qualia æmuletur. Hujuſce ſiquidem facultatis peculiaris dos eſt imitari quæcunque proponantur, ídque utrùm æmulationem mereantur, nécne; ideóque

pro exemplaribus vel pulchris & conſummatis, vel deformibus, aut ineptis atque imperfectis iſthæc plus minúſve valebit.

*Imaginatio ſana.*

Itaque hæc facultas bene habere cenſenda eſt, quando ad ſimilitudinem rerum ipſarum imagines exprimit, neque ab ipſis, niſi cauſa detur, divagatur. Quòd ſi nullis aſtricta regulis longè latéque effrænis expatietur, talis certè imaginationis conditio vix ſanitatis ſecura eſſe poteſt. Hujus quippe facultatis eſt principis juſſis parere, ſeque ſecundum naturæ ordinem inferiorem gerere; adeò ut ſi quando rationis dictatis aliena ex imaginatione prodantur, verendum jure merito ſit, ne ex parte ſaltem aut ad tempus mens ſolio deturbetur. Et quidem cuivis videre eſt, intelligendi potentiam magis minúſve firmam eſſe pro pleniori vel exiliori modo, quo imaginationi ratio dominatur. Cujus rei cauſa videtur, quòd totum mentis bene ſanæ imperium eá facultatum ordinatione conſiſtat, ut quævis inferior ſupremæ obtemperet; quæ quò ſeveriùs ſervatur, eò tutiori mentis ſanitate hominem beat.

Felix

Felix nimirum mentis ille eſt, qui in imaginationis ſpeculum inſpicere poteſt ideo ſolummodo ut apertiùs rem cognoſcat, aliiſque depictam exhibeat; felix interim ſi quòuſque imaginandi vi utitur clarè nôrit, quíque ejuſdem operâ carere, ubicunque velit, poteſt. Nempe ſoli germanâ dotantur mentis fortitudine, quâ diſciplinas ſuperat, atque ſcientijs utilioribus penitiùs imbuitur, qui imaginationis auxilio, ſi quando opus ſit, fruuntur; at verò imagines illius à rebus ipſis prorſus diſcernunt. Siquidem illud omne, quod ex imaginationis operibus diſcere licet, ad ſummum terminos ſimilitudinis minimè excedit: Atque ubi res ſimiles internoſcere oportet, ſpeculum hujuſmodi minoris momenti eſt; ac illic ſedulò cavendum, nequis eodem abutatur. *Ac felix.*

Ad res itaque ipſas ceu exemplaria reſpicere fas eſt, quandocunque de hujuſce facultatis operibus ſententia feratur; quibus ſanè, modò hæc per omnia reſpondent, præſtantiſſima eſt ejus conditio. Non rarò tamen accidit ut, qui adhibentur judices ad dignoſcenda rerum ſimulacra, ipſi *Ratio probandi.*

ipſi errent, & figmenta, quæ imitandi vis edit, rebus ipſis anteferant; qualis judicij exemplum extat in hiſtoriolâ (*a*) Phædrianâ;

*Facturus ludos quidam dives nobilis*
*Propoſito cunctos invitavit præmio,*
*Quam quiſque poſſit ut novitatem oſtenderet.*
*Venêre artifices laudis ad certamina,*
*Quos inter ſcurra notus urbano ſale,*
*Habere genus ſe dixit ſpectaculi,*
*Quod in theatro nunquam prolatum foret,*
*Diſperſus rumor civitatem concitat:*
*Paulò antè vacua turbam deficiunt loca.*
*In ſcenâ verò poſtquam ſolus conſtitit,*
*Sine apparatu, nullis adjutoribus,*
*Silentium ipſa fecit expectatio.*
*Ille in ſinum repentè demiſit caput,*
*Et ſic porcelli vocem eſt imitatus ſuâ,*
*Verum ut ſubeſſe pallio contenderent,*

(*a*) Lib. V. Fab. 5.

*Et excuti juberent: quo facto ſimul*
*Nihil eſt repertum, multis onerant laudibus,*
*Hominémque plauſu proſequuntur maximo.*
*Hoc vidit fieri Ruſticus: Non mehercule*
*Me vincet, inquit; & ſtatim profeſſus eſt*
*Idem facturum meliùs ſe poſtridie.*
*Fit turba major: jam favor mentes tenet,*
*Et deriſuri non ſpectaturi ſedent.*
*Uterque prodit. Scurra digrunnit prior,*
*Movétque plauſus, & clamores ſuſcitat.*
*Tunc ſimulans ſeſe veſtimentis Ruſticus*
*Porcellum obtegere, (quod faciebat ſcilicet,*
*Sed in priore quia nil compererat, latens)*
*Pervellit aurem vero quem celaverat,*
*Et cum dolore vocem naturæ exprimit.*
*Adclamat populus: ſcurram multò ſimiliùs*
*Imitatum, & cogit Ruſticum trudi foras.*
*At ille profert ipſum porcellum è ſinu,*
*Turpémque aperto pignore errorem probans,*
*En, hic declarat, quales ſitis judices.*

Totam

Totam hanc rem pleniùs obſervationem præmiſſam illuſtrantem huc transferre viſum eſt, eóque magis quoniam tam bellè narratur: Quod ſanè autorem non neſcîſſe conſtat ex præſagio ad calcem hujus fabulæ, more Poëtarum qui carmina elegantia ediderunt, addito; chartas haſce in honore futuras dum Latinis pretium literis manebit.

*Opera imaginationis.* Inter opera imaginandi facultatis utilia eminent ſigna, qualium ope mens ſenſa ſua cum alijs communicat; quæ quidem imitantur ipſas naturæ voces; quemadmodum vocabula artificialia finguntur animantium peculiaribus ſimile quiddam ſonantia; qualia ideo omnes ferè Linguæ complectuntur, ut balare, grunnire, & reliqua ejuſmodi. Ex eodem etiam fonte oritur, quòd carmina ad ſimilitudinem rerum deſcriptarum conduntur; quale notiſſimum eſt illud Maronis,

*Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum*;

ad quorum modulum paſſim apud clariſſimos Poëtas verſus invenias. Nec alius ſane eſt totus ille Analogiæ Grammaticæ labor,

labor, qui ſubſidium utiliſſimum memoriæ afferre ſuprà dictus fuit. Inde deveniendum ad ornatè dicendi modos, qui apud Rhetores traduntur: Ubi ſanè voces tralatitiæ ex ſimilitudine deſumuntur, atque eædem nonnunquam catenatæ in allegorias deducuntur. Hæ interim permeant omnia illa ſcriptorum genera, quorum autores veritatem ſinceram ac nudam exponere verentur, eò quòd, ſi apertè prodatur, ingrata, vel propter rudem ſimplicitatem neglectui aut contemtui futura ſit; aut propter aſperitatem odium irámque enarranti conciliatura. Hujuſce generis ſunt fabulæ, quarum argumenta deſumuntur ex alienis ab hominibus naturis, utrùm ex ferinâ vel arboreâ idipſum ortum ducat. Neque ab hiſce multum abludunt imagines hominum in hiſtorijs deſcriptæ, cæteráque ejuſmodi opera, unde imaginandi dexteritas ſimilia effingere valeat.

Verum quidem eſt opera imaginationis præſtantiſſima ſpeciem eandem ferè ac res ipſas referre, ideóque non rarò in earum locum ſuffecta eſſe. Quod certè, quandocunque accidit, errorem proinde facultatis judicis evincit, non autem imaginationis; quippe *Fortiſſima cavenda.*

quippe quæ munere ſuo ritè fungitur, dum imagines ad naturam rerum proximè accedentes exhibet. Quapropter perpetuò ſuſpicionem ejuſmodi vis illuſoriæ fovere ijs æquum eſt, qui ne mente capti ſint metuunt. Etenim judex ipſe causâ iſtiuſmodi corrumpi ſolet, ubi in imaginandi facultatem culpa ferè rejicitur. Interea liquet vim imaginandi ab animi affectibus ſæpe adaugeri, atque eoſdem in causâ eſſe, quare & ſpecie veri rectíve iſthæc decipere, & judex ſimul in partes trahi poſſit. Quòuſque igitur pertinet imaginandi poteſtas, hoc ſemper animo objici par eſt, nempe eam ad fidem argumentis faciendam minimè idoneam eſſe; quoniam nihil eò magis veritati rationíve conſentaneum eſt, quòd illius ſpecies in imaginatione vividè depingatur, ubi ſemper de errore periclitaris. Verùm ſi fortiſſimè hujuſmodi imagines mentem percellant, inclinéntque eam ad fidem ipſis tanquam clarè depictis adhibendam, næ illæ in dubium vocandæ ſunt, utpote quas affectuum vehementiæ potiùs quàm decretis judicis, qui verum cautè examinat, deberi veriſimile eſt.

Quòd

Quòd ſi tandem imaginationis uſus intra fines debitos coërceatur, ut nec ad eruendas rerum origines causáſve ſtabiliendas imagines ejuſdem adhibeantur, neque ad res ipſas, qualis nimirum natura rationéſque ſint, inveſtigandas; verùm ſolummodo ad tradenda alijs animi ſenſa, eadémque memoriæ affigenda, hæc ipſa inter nobiles mentis facultates eminere videbitur. Hæc quippe lumina orationi aliter obſcuræ & intellectu difficili interjicit; eandémque horrentiorem cultioribus dictionum elegantijs perpolit. Quin & decenti habitu mentis conceptus veſtit, utrùm in ſublime tollantur, vel mediocri & gratâ jucunditate conditi æquabili proferri ſtylo gaudeant. *Imaginationis uſus.*

Totus profectò dictorum ſcriptorúmque ornatus hujus munere enitet; geſtus ipſe, toni, numerorúmque delectus ab hâc pendent; & quicquid de veri facie exteriùs apparet hinc depromitur, oſtenditur, elucétque. Quod quidem ex Poëſi conſtat, ubi ſimplex rerum natura magnificentiùs Muſarum ore decoratur illuſtratúrque; ubi terror animo incutitur, vel deſperatio ſublevatur; *Ornatus.*

levatur; odium amore novo deletur, amórve irritus in iræ acerbitatem aſperatur, at voti compos in ſuavitatem blandam miteſcit. Quemadmodum Pindarus (*a*) gaudiorum vires in malorum veſtigijs exterendis deſcribit, qualia tempus non abolevit: Quod quidem carmen vertente Sudorio ita habet;

*Quod ſemel factum eſt bene perperámve*
*Neſcit infectum fieri, retróque*
*Irritum: at tempus tacitâ recondit*
*Plurima nocte.*

*Sæpe & exhauſtos abolet dolores*
*Gaudium præſens, ubi nos ab aſtris*
*Reſpicit vultu facili Deorum*
*Æqua poteſtas.*

---

(*a*) Ὀλυμπ. Β΄. Τῶν δὲ πεπραγμένων
Ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν
Ἀπο ́ητον ἐδ᾽ ἂν
Χρόνος ὁ πάντων πατὴρ
Δύναιτο θέμεν, ἔργων τέλος.
Λάθα δὲ πότμῳ σὺν εὐδαίμονι γένοιτ᾽ ἄν.
Ἐσλῶν γὰρ ὑπὸ χαρμάτων
Πῆμα θνάσκει παλίγκοτον, δαμασθὲν,
Ὅταν θεȣ̃ μοῖρα πέμπει
Ἀνεκὰς ὄλβον ὑψηλόν.

atque

Atque ita humani pectoris affectus imaginibus à naturâ tranſlatis ad vivum delineantur, tanquam turbines & procellæ aut lenes favonii auræ; tanquam tonitrua fulguráque, & ſolis æſtivi ardentes, vel placidè coruſcantes verni ejuſdem radij; tanquam nimirum omnia urentes torrentéſve, vel calore geniali foventes, atque in ſeminibus ovíſque tenella recondita elicientes.

Ut Poëſis primùm in ſubſidium facultatis recordandi præcipuum fuit excogitata, ſic & memoratu digniſſima complectitur. Præclarâ quippe imaginationis operâ ea memoriæ affigenda ſapientes curârunt, quæ æternùm vivere ipſis mereri viderentur. Itaque carmina huic facultati ſunt inſtar horreorum ſive gazophylaciorum, unde copia imaginationi ſuppeditatur, ejúſque opes repetuntur. Siquidem Poëſis omnes in ſe imaginationis artes unà complectitur, & quæ hic vel illic per partes ſparſæ ſingulatim continentur, eaſdem ſimul apud Poëtas reperire licet: Videlicet unum vel pauca ſaltem ſidera alibi luſtrare eſt; Poëtica verò uni-

*Poëſis ejus opera præcipua complectitur.*

verſa cœlorum aſtra comprehendit. Ars propterea illa eſt, ubi ingenia celeberrima imaginatione præſertim florentia, nobiliſſima repoſuerunt inventa, qualia ad rerum naturam ſpectarent, qualiáve ad humani generis mores excolendos utilia eſſent: Ideóque non modò ſcientiæ promptuarium, ſed & ſæpenumero armarium repræſentat, ubi veterum ac recentium ſagittæ ac tela machinæque aſſervantur; utrùm hæc ſint, quibus publici iſti generis humani hoſtes legibus ſoluti fuerunt debellati, qui Satyris transfiguntur; vel illæ quibus optima naturæ noſtræ exemplaria laudibus evehuntur, atque æternitate donantur. Quæ ſanè eximio fulgore nec ætate imminuto radiantia in vatum operibus ab antiquiſſimis in noſtra uſque tempora durârunt; dum æra marmoráque, nec ſoli pictorum evanidi colores, edaci tempore conſumta, dudum ſine nomine aut inſigni quovis monumento diſparuerint, & penitus interierint.

*Exemplum abuſûs operum imaginationis.* Fabulas quidem inter opera imaginationis utiliora recenſere par eſt, atque ita ubique Poëtarum adornantur: Attamen non rarò mentem decipiunt, dum (uti priùs

priùs dictum fuit) nugis & pernicioſiſſimis erroribus fidem addunt & pondus. Sic Pindarus fabulam Pelopis decantatiſſimam enarrantes reprehenſione digniſſimos cenſuit: Nec ſanè pigeat celeberrimam Poëtæ ſententiam huc transferre ex Verſione Sudorianâ;

(*a*) *Vana ſed hæc memorans vetuſtas*
*Impune gentes decipit, & venus*
*Antiqua vatum callida, muſico*
*Condire ſermones lepore*
*Dat nebulis aliquando pondus,*
*Fidémque falſi arrogat : at dies*
*Seris recludit cuncta nepotibus.*

---

(*a*) Ἦ θαύματα πολλά,
Καίπουτι καὶ βροτῶν φρένας,
Ὑπὲρ τὸν ἀληθῆ λόγον
Δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις
Ἐξαπατῶντι μῦθοι.
Χάρις δ', ἅπερ ἅπαντα τεύ-
χει τὰ μείλιχα θνατοῖς
Ἐπιφέροισα τιμὰν,
Καὶ ἄπιςον ἐμήσατο πιςὸν,
Ἔμμεναι τὸ πολλάκις.
Ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι
Μάρτυρες σοφώτατοι. Ὀλυμπ. Α΄.

Ac poſtea, (*a*)

*Verùm voraces religio eſt mihi*
*Cantare Divos, ſæpe linguas*
*Pœna gravis ferit inſolentes.*

Nempe canit, tanta prodigia nunquam fidem habitura, niſi, ut hæ placerent fabulæ, carminis gratiâ factum fuerat; cujus quidem vires notando obiter celebrat. Atqui, dicat aliquis, quidnam ſenſiſſet Pindari ingenium, modò fabula ſic fuiſſet efficta, ut Pelops unum ex convivis Tantali patris, qui nimirum Dij habebantur, devoraret? Exinde profectò patet, quantum imaginationis opera & auctoritas apud judicem facultatem valent.

*Operum quorundam diſtinctio.*

Inter varia imaginationis opera perſonæ imprimis ſpectandæ ſunt. Ut autem imaginatio facultatem percipiendi imitatur, imagines illius in hoc genere aut ad for-

(*a*) Ἐμοὶ δ' ἄπορα, γαςρίμαργον
Μακάρων τιν' εἰπεῖν.
Ἀφίςαμαι. Ἀκέρδεια λέλογχεν
Θαμινὰ κακαγόρως. Ibid.

mam rerum ſingularum, aut in ſodalitijs conſociatarum finguntur: Prioris generis ſunt Cyclopes; poſterioris, fabulæ; ac rurſus hæ vel ex fictis vel veris conſtant perſonis, atque etiam nonnunquam ex utroque fuerunt genere deſumtæ, qualis conjunctio Polyphemi cum Ulyſſe apud Homerum oſtenditur. Hujuſmodi autem fabulæ ad hiſtoriam proximè accedunt, quatenus res geſtæ ibi narrantur. Quinetiam perſonæ ſunt vel eæ quas noſmet ſuſtinemus, aut quales ad nos ipſos referuntur per cognationem ſeu affinitatem vel amicitiam aut etiam ſimilitudinem; vel è contrà quales ad nos nullatenus ſpectant. Quod ad proprias noſtri ipſorum perſonas attinet, imaginatio deludit, quandocunque hinc veris grandiores effingat, illinc vero, non quantæ reverâ eædem ſunt delineet: E priori quippe tumor vanitatis gloriæque oſtentationis exurgit; ſicuti è poſteriori tenuitas quædam morum qualis ingenuum dedecet, ac inepta verecundia quæ ingenitam vim prodere, & viro digna profari atque agere prohibet. Et quidem eximiæ imaginationis eſt eas ſemper offerre imagines quæ omnino congruant; quales ſanè amplitudinem natu-

ralem neque auctam nec imminutam exhibent: Attamen eò quòd ſui ipſorum amor apud pleroſque plurimum valere ſolet, à vanitatis partibus præcipuè cavendum, utpote in quas imaginatio ſæpiſſime proclivis eſt.

*Vitia imaginationis.* Itaque imaginatio duplici nomine à veritate recedit, ſi vel auget vel imminuit conceptuum vim, dum opera eorum ſimilia effingit. Idipſum igitur quod in exemplari non invenitur, vanum eſt; quoniam eidem nihil extra imaginationem reſpondet. Vidi egomet quendam (*a*) vanum omnes omnium perſonas in ſuâ complecti ſtudentem, quotquot aliquatenus ad ſe referri novit: Dum adhuc puer eſſet, condiſcipulos in ludo literario tanquam ad ſe unum ſpectantes habebat; atque ipſe ijſdem os linguáque atque etiam mens erat. Quum ex ephebis exceſſerat, ſtatim ſodalitium juvenum ſortitus, perſonam totius ſibi ſodalitij induit, nec aliam à ſuâ cujuſvis ſodalis ſententiam agnovit. In hunc

(*a*) Thraſo ille Terentianus ab hoc ipſo non multùm diverſus exhibetur.

modum

modum per hominum ordines vitæ iter fecit, ac perpetuò integri ad quem acceſſit ordinis communem quaſi ſenſum ſibi arrogavit. Nempe tale hominibus infortunium eſſe ſolet, ut ejuſmodi arrogantes juvare aſſueſcant: Unde haud ægrè plerumque evehuntur, nec, uſque dum res progredientibus repagulo ſint ne ad ſumma rerum perveniant, prohibentur. Nil itaque miri ſi vanitas robuſto potiùs pectori inſideat, atque adoleſcentiam virilémque magis ætatem infeſtet; ac vitium ſit animi inexperti, qui, quanti ipſe ſit, ex uſu non ſatis didicit. Hinc itidem liquet, cur ibi ſuperbia radices agit, & quare effrænis licentia, injuriámque inferendi ac dominandi libido eandem ſæpe comitantur. Et quoniam ſe opponit alteri illi pauperis bonorum imaginationis vitio, conſtat quamobrem hujuſce indolis homines vix humo tolluntur. Ad hunc ideo modum Heſiodus (*a*) Jovi id operis tribuit, qui facilè & humi jacentem exaltat, exaltatúmque deprimit, tanquam numini optimo maximo proprium; accingit verò ſeipſum ad mu-

(*a*) Ἔργ. καὶ Ἡμέρ.

 nus

nus ſibi (*a*) accommodum, nempe ad prodendam veritatem fabulis obductam, quâ ratione Perſes ſanaretur. Ac tale quidem imaginationis opus adhibet tanquam præſidium adverſus iſthoc vitij genus utiliſſimum. Fabulam autem eam exponit de duplici contentionis genere, hoc ſcilicet, quod in bello cernitur, quale vituperandum; altero verò, quale multò meliùs hominibus cedit, nimirum quod in æmulatione ut plurimum ſitum eſt: Prius vanitati debetur; poſterius verò, quanti homines valent, probat. Nec alia ferè ab hiſce inveniuntur apud antiquiſſimos quoſvis vates, qui fabulis laudatiſſimis, quibus certè tunc temporis tanquam ſacræ hiſtoriæ fidem adhibebant, pro remedijs utriuſque in imaginatione vitij uterentur.

*Vitiorum remedia duplicia.* Remedium igitur ejuſmodi duplex eſt, aut acre atque invectivum, aut ridiculum: Utrumque verò adhibitum plerumque fuit ad mores caſtigandos; nec minùs utile ad tollenda imaginationis vitia compertum.

---

(*a*) Κλῦθι ἰδὼν ἀΐωντε˙ δίκῃ δ᾽ ἴθυνε θεμιςὰς
Τύνῃ˙ ἐγὼ δέ κε Πέρσῃ ἐτήτυμα μυθησαίμην. Ib.

Priſci

Priſci autem remedia tam aſperè fortiterque adhibuerunt, & eòuſque tandem malè feriati ac pravi abuſi fuerunt, ut ab ijſdem hominum mores abhorrerent; quæ dein artificibus itidem dedecori futura eſſent. Enimverò poſtquam Socrates licentiâ veteris comœdiæ petitus fuerat, huic prorſus neglectæ atque inviſæ politum illud genus ſucceſſit, quod Menandrum cultorem agnovit, in quâ famâ intactâ vitium emendari potuit. At talis quidem fabula, ubi exempla deſumuntur à perſonis longiſſimè remotis, efficaciſſimè ac feliciſſimè adhibita fuit; quâ in methodo conſulitur, curatióque peragitur non ſine eodem fructu ac ubi tota res apertè traditur. Quin & parallelæ hominum hiſtoriæ, qui quondam vitijs hujuſmodi deformati fuerint, non ſine pari utilitate adhibentur. Nimirum id perpetuum eſt, opera imaginationis accurata totidem eſſe ſpecula, in quibus ſimulacra ſua intuentes diſcant, quâ ratione ſe redigant ad juſtam hanc amplitudinem, quam forma necnon firmitas comitantur, ſuáque omnia ad eandem eâ lege effictam accommodent.

Quam-

*Quâ ratione eadem juvant.*

Quamprimum igitur imaginatio inania effingit, optima corrigendi ratio videtur imagines opponere ab alijs rectè delineatas atque caſtigatas; ubi ſanè deformitas clariſſimè demonſtratur. Hîc quippe imaginatio, quæ in imitationem proclivis eſt, effigiem operis ſui minimè congruam ac ingratam, atque ex adverſo formam alieni pulchriorem reſpiciens, habitu ſenſim pravo ſeipſam exuit, & ad exemplaria iſthæc nobiliora deinceps ſuum configurare amat & aſſueſcit. Hæc utique methodus vanitati conſumendæ inſervit, necnon oppoſito eidem vitio emendando; nempe ſi liber hujuſce facultatis uſus non negligatur, operibúſque illius laus tribuatur; initio licèt eadem ad claritatem exemplarium minimè aſcendant. Siquidem tenuis ea imaginationis indoles commodè exercitata viribus augetur & capacior redditur, prout cuivis alij contigit facultati; tametſi fatendum ſit, quorundam imaginationem tam præclara præſtare à naturâ poſſe, quanta ut alij aſſequantur, ars efficere neſcit.

Ex

Ex unâ interim vel alterâ vitiorum indole oritur malè ſana imaginatricis conditio; adeò ut hinc ex vanitate ſupra modum intumeſcente frequenter furor naſcatur; illinc verò in alterum inſaniæ genus curratur, quod dein imaginationem falſis implet terroribus. Quòuſque igitur ſanitatis pomœria pertinent ejúſque fines ſtatuendum, priuſquam ea, quæ malè ſanam eſſe hanc facultatem evincunt, internoſcere licet. Ut integerrimam verò ejus conditionem hanc eſſe patet, ſub quâ judici perpetuò auſcultat; ſic etiam non malè ſanam dici, ſiquando animi affectus corripiant, ipſámque integram, poſtquam poſuerunt, relinquant; quales tamen ſæpe recurrentes, diúque durantes eandem valde perturbant, & non rarò in inſaniam deſinunt. Quocunque autem modo imagines formantur, ſi judici offerantur tanquam confictæ, quantumvis veris ſint ſimiles, attamen non eidem obtrudantur veluti res ipſæ perceptæ, hoc quidem imaginationem malè ſanam non indicat, tametſi abunde errorum illinc deducatur. Ac propterea tum ſolùm imaginatio haud bene valere cenſenda eſt, quando judicis partes ſuſtinere audeat, vel res

*Imaginatio malè ſana.*

res perceptas atque in memoriâ aſſervatas pro ſuis venditare; ſuáve opera in locum eorum, quæ ipſæ prodidêre, ſufficiat. Quoniam naturæ ordo in hunc modum ſubverſus, facit ut omnia in mente confundantur: Etenim animi affectus ex ſui ipſius amore vires ſuas depromentes nullum dehinc rectorem agnoſcunt; at ſpecies mille rerum illudentes huc illuc mentem diſtrahunt conturbántque. Itaque in utroque genere ægreſcit imaginatio, utrùm ex parte vanitatis vel timiditatis peccetur: Et in priore quidem perſona, quam ſuſtinet, grandior; in poſteriore verò tenuior, quàm par eſt, effingitur. Exemplo ſit ille, qui in noſocomio rogatus, quânam ratione quidam inibi hoſpitans (nempe ad virum eundem digitum intendendo) inſaniverat, reſpondit; Hunccine opinari, ſe Jeſum Dei filium eſſe: Verùm hiſce prolatis mox erupit reſpondentis ſimiliter inſania, Atqui egomet, inquientis, illius Pater Deus ſum. Nimirum omnes ijdem omnia magna dicere, omnes principes eſſe, vel apud eoſdem plurimùm valentes; ac, ſi gradum ſuperiorem nôrint, illuc conſcendere. Ab alterâ verò parte exempla ubique jacent

avarorum

avarorum, (*a*) qui, ne inopiâ deperdantur, etiam dum divitijs affluunt, verentes, ad miſerrimum iſtud inſaniæ genus deprimuntur. Aliquando etiam de priore in poſterius tranſitur. Memini enim virum mediæ ætatis mercaturam tunc temporis facientem, quem vanitate abunde laborantem ante ſex menſes nôram, & quem audivi Londinum advectum, curæque medici commiſſum veluti poſteriore morbi genere jam affectum; ubi tandem ſupremum diem obit, mórſque divitem eum fatetur. Imò & varietas dudum in utroque genere obſervata, non alia eſt, niſi qualis ex naturâ atque temperamento ægrorum proficiſcitur, prout ſcilicet ingenium eorum mite & benignum, ſive audax & efferum atque immane antea cognitum fuerit. Novi equidem à pueritiâ tres civis filios, quorum ſanè pater imaginationis potentiâ, quantam ſodales experi-

(*a*) Umidius quidam (non longa eſt fabula) dives
Ut metiretur nummos; ita ſordidus, ut ſe
Non unquam ſervo melius veſtiret; ad uſque
Supremum tempus, ne ſe penuria victus
Opprimeret, metuebat; at hunc liberta ſecuri
Diviſit medium fortiſſima Tyndaridarum.

*Hor.*

entiâ

entiâ probè cognitam habuerunt, præpollebat. Nempe hi hæreditariam exinde imaginationem ſortiti ſunt, adeò ut natu maximus eandem penè ſimplicem obtineret, ac feliciter eorum geſtus, quoſcunque viderat, imitari poſſet; qui tamen ingenio bonorum tam paupere laborabat, ut inſipidi ſtolidíve infamiâ notaretur. Fratri intermediæ ætatis imaginatio eòuſque vigebat, ut ſe humo attolleret in ſodalitium illuſtriſſimorum, qui gentis noſtræ decora fuêre, & quorum memoriam Britannia etiamnum reveretur. Et hiſce quidem cooptatus horis negotiorum vacuis jucundum ſe comitem exhibebat; nec vanitate omnino affectum audivi. Minimus verò natu ſtudijs literarum incubuit, vanúſque adoleſcens erat, omnibus tamen dulcis propter imaginationis ſuavitatem, quæ facetijs ac geſtu ſe prodidit, quibus triſtitiam curáſque depellebat. Verùm Muſæ ipſius comes erat indiviſus Bacchus; magis verò Pomonam adamavit. Eidem etiam pocula, apud noſtrates vitea fermento imitantia, in delicijs fuêre. Unde primò Hydrops minitatur; verùm poſtea adultâ ætate occupatus inſaniâ nunquam ad integritatem reverſus eſt.

Ad

Ad ſublevandum itaque prius illud imaginationis malum ea proſunt, quæ veri rationes inculcant, mentémque ab inanibus ad rerum momenta revocant; ut, quanti ſint res extrà poſitæ, innoteſcat; neque ijs ſolis, quæ intus hærent, affigatur. Ex hoc quippe fonte imaginandi ægritudo, cujus mentio jam fit, ut plurimum oritur, nempe interna magis quàm externa advertendo. Hinc eò tendunt ſtudia, quæ mentem ſuis potiùs quàm aliorum bonis occupatam detinent. Hinc ſui ipſorum ea admiratio, quæ reprehenſionem ſæpe mereatur; eadem quippe initium ſubinde fit hujuſce à vero rerum ſenſu aberrationis. Exinde enim facultas judex firmior evadit, quòd res oblatas intuens ſecundum hæc exempla perpetuò decernat, non verò ſecundum conceptus apud mentem latentes, & quos minimè cum alijs collatos olim amplexa fuit. Id ipſum profectò conſtat, quicquid judici facultati vires ſubminiſtrat, hoc imaginatricis audacitatem caſtigare, atque impudentiam ejuſdem effrænem reprimere atque coërcere. Pertinet porrò hoc conſilij pari jure ad alteram illam imaginationis intemperiem, ubi infirmitate laborantes quaſi *Auxilia.*

ſi

ſi ex inopiâ deperdi ſolent: Quoniam tametſi uſus eorum, quæ animos addunt, hiſce ægris proficuus ſit, atque hi ad fiduciam gradatim manuducendi ac hortatibus incitandi ſint, ut, qualia ſibi ardua videntur, ipſi tentent, nec vereantur ne vires animique deficiant, modò, qui ſuppetunt, exerere nituntur; cavendum nihilominus, ne in contrarias partes abripiantur. Memoriâ quippe tenendum, hunc imaginationis morbum facilè in prædictum tranſire, præſertim in naturis quæ affectibus nerveis obnoxiæ ſunt; ideóque fortioribus parcere ſtimulis providi eſt conſilij.

*Tempora ac regimen operibus imaginationis idonea.*

Quinetiam ad imaginationis ſanitatem tuendam ejúſque opera auſpicatiùs peragenda conducit, anni tempora ac regimen nôſſe, ideóque de illis pariter atque hoc ipſo agendum. Quod ad priora attinet, imaginationem ad ardua ejuſdem negotia non adhibendum, niſi illo temporis ſpatio, quod æſtatem præceſſerit. Idque ſanè monendum non ſine exemplo celeberrimi noſtratis Poëtæ, Autorem volo *Paradiſi Amiſſæ*; qui ſcribere vere jam novo cœpit, ac eodem in æſtatem mox tranſituro id operis per reliquos anni menſes imperfectum reliquit,

quit, nullatenus progreſſurus, uſque dum ſol ad Arietem reverteretur, novúmque imaginandi vigorem redeuntem perſentiſceret. Hinc ex antiquorum ac recentiorum monumentis ſeligere optimas quaſque Poëtarum & Philoſophorum imagines atque ſacro ſuo argumento eas adaptare, ſibíque & patriæ ſuæ ingens illud tropæum erigere ſecurus potuit. Verùm & tempus ſatis longum intermittere oportet, ſiqui imaginationis labores perferre eâdem illæsâ velint; quanto ſcilicet opus eſt, ut ad juſtam temperiem ab ardore redigatur. Hinc qui Poëma illud laudatum Latinè reddere conatus eſt, & per triduum eidem ſine intermiſſione operi incubuit, inſaniâ demum correptus fuit. Neque profectò ſilendum, quòd meraciora omnia hiſce fugienda ſunt; neque quòd omnes corporis vias reſeratas, potiùs quàm clauſas atque conſtrictas habere tutius eſt.

*Fama mentis ab imaginatione pendet.*

Ex præmiſſis quidem liquet, hanc facultatem cæteras illuſtrare, ac quàm habiles ſint pleriſque oſtendere; atque ita ex ejus operibus fama mentis vulgo innoteſcit: Quoniam eadem non ex interiore hujuſce rectitudine aut bonitate, non ex ſententijs

M accu-

accuratiſſimè latis, neque ex eo quòd ſapienter omnia intus regat inſtituátque, creſcit, qualia quidem vix apud vulgus apparent; nec ſanè infamia ex dotibus oppoſitis, quamdiu palàm non fiant, notatur; verùm ex habitu ornato aut vili, atque ex amore odióve, quo alios proſequuntur, ſemet adeò germanis coloribus patefaciente, ut alij perſentiant: Illud verò unicè ab imaginatione pendet. Veruntamen ut mens laude digna jure merito ſit, majus adhuc quidquam conſiderandum venit; altiúſque illius dignitatis fontes inveſtigandi; quam non unius ſolùm ævi judicia declarent, non amicorum modò linguæ enarrent; ſed & ſapientia, re in univerſum cognitâ, probet mandétque æternitati. Hoc ſcilicet jus, norma atque arbitrium penes ſuperiores ſunt mentis facultates.

## Cap. XII.

## *De Judicandi facultate.*

POSTQUAM res ſingulæ perſpectæ fuerint, mens de alijs ſeparandis, alijs verò conjungendis ſententiam ferre ſolet; prout in univerſum aut ex parte ſolummodo diſcretas, aut omnino vel quadantenus duntaxat connexas cernit. In hunc ferè modum ſi aſſenſum mens non cohibet, atque in neutram propendens partem nullas videt cauſas cur neget vel aſſerat, progredi conſuevit; etiamſi hæc ſæpe tam brevì intra mentem fiant, ut ſpatium temporis vix notetur. *Quâ ratione judicatur.*

Quum judex facultas decernat aliquid ex collatis duobus, id decreti clariùs vel obſcuriùs ſe habet, prout ambo cognita fu- *Unde error.*

erunt; ubi frequenter evenit, ut alterum perſpectum ſit, alterum verò non niſi de facie notum. Quali modo vix cuiquam niſi caſu vera proferre contingit. Atqui illud omne, quod non ſatis apertè in utrovis intelligitur, errori natalitia dat. Quòd ſi memoria in re quâvis fallat, error exinde in ſententiam irrepit; perinde enim eſt, non accuratè in memoriâ ſitum eſſe, ac non probè perceptum fuiſſe. Denique ſi imagines pravè formentur rerum ipſarum diſſimiles, quaéque coloribus alienis inficiuntur, atque affectus animi potiùs redolent quàm cauſæ ipſius integritatem, hæ ſanè in partes ſuas frequenter judicem abducunt, & blanditijs ſuis ac utilium forſan ſpecie corrumpunt.

*Ex tribus prioribus facultatibus veniens error caſtigatur.*

Igitur per tres nominatas facultates error in hanc ipſam labitur, niſi ab aliâ aliquâ re præcognitâ lucem fœnerari, eundémque ab ipſis tranſmiſſum caſtigare liceat. In quo quidem corrigendi negotio ſapientium antiquorum ſtudia literis conſignata, atque à ſequentibus eruditis, per quorum manus ad nos devenerunt, probata inſigniter juvant. Ut autem exemplo ex Aſtronomicis

petito

petito utar; *Epicurus* (*a*) *docuit ſolis cæterorúmque ſiderum magnitudinem eam eſſe, quæ videtur*: Unde fortè Philoſophia incœpit. At longè prior illo Anaxagoras (*b*) dixerat, *Solem eſſe majorem Peloponneſo, &* (*c*) *Lunam Peloponneſò eſſe æqualem.* In quantam verò magnitudinem (*d*) *tantulus* Epicureorum *Sol* crevit, omnibus notum eſt, qui Aſtronomiam primis labris deguſtârunt. Ab hoc ipſo tamen Epicuro, qui ſenſibus tantum defert, Imaginatio abunde caſtigari ſolet, dum figmenta (*e*) ejuſdem rideat, qualia ſunt *Centauri*, *Scyllæ* ac *Chimæra*. Quæ ſanè ratiocinio à naturis eorum varijs deſumto, nunquam extra imaginationem extitiſſe evincit. Unde patet Lucretio fatente, judicandi facultatem potuiſſe auxilium à ratione petere, præſertim ſiquando

(*a*) Τὸ δὲ μέγεθος ἡλίȣ τε καὶ τῶν λοιπῶν ἄϛρων κατὰ μέντοι πρὸς ἡμᾶς, τηλικȣ̃τόν ἐϛιν ἡλίκον ὁποῖον φαίνεται. Ἐπικȣ́ρȣ Ἐπιϛολ. Πυθοκλεῖ.

(*b*) Laërt. in vitâ Anaxagoræ.

(*c*) Plutarcho referente.

(*d*) Illud item non eſt mirandum, quâ ratione *Tantulus* ille queat tantum *Sol* mittere lumen. *Lucret.* L. V.

(*e*) Ibid.

mortalium corda à metu hujuſmodi prodigiorum liberanda eſſent.

*Scribendi ars errores memoriales corrigit.*

Quinetiam totum ſcribendi artificium, eidémque innixa ars typographica memoriæ erroribus corrigendis inſervit; unde judex depromere poteſt, quæ ſibi in ſubſidium ducenda ſunt. Permagni itaque momenti eſt ad hanc facultatem dirigendam æquè ac firmandam literis innutriri, nec ijs ſolis, quæ ad noſtra ſpectant tempora, verùm quæ clariſſimi veteres prodiderunt, non ſecus ac hi qui eorum veſtigijs inſiſtentes veritatem, quæ ſecundum naturam eſt, non ſua ſolummodo commenta aperire ſtuduerunt. De hiſce enim, qui ea ſola nôrunt quæ ipſi experti fuerunt, quantumvis in longum vitæ ſcena producta ſit, illud Pindari (*a*) non ſine ſale laudandum eſt; *Ephemeri ſunt. Quidnam eſt aliquis? Quid vero nullus? Umbræ ſomnium ſunt homines.*

---

(*a*) Ἐν δ᾽ ὀλίγῳ
Βροτῶν τὸ τερπνὸν αὔξεται· οὕτω
Δὴ καὶ πιτνεῖ χαμαὶ, ἀποτρόπῳ
Γνώμᾳ σεσεισμένον.
Ἐπάμεροι· Τί δέ τις; Τί δ᾽ οὔτις;
Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. Πυθ. Η΄.

Cujus

Cujus dicterij cauſam proximè antecedentia declarant; *Ut enim brevi mortalium voluptas adaugetur, ita ſanè humi præceps decidit propter rebus ipſis malè conſonum judicium, mentiſque quandam alienationem.* Ex hiſce proinde tribus facultatibus error naſcitur; qui, niſi judex corrigat, per ratiocinia ducitur, omniáque ejuſmodi conturbat.

Non enim in ratiocinandi facultatem alius error incidit, quàm qui à judice eouſque pervenit: Eâque mens utitur ad inferenda qualia in judicijs rectis pravíſve ſola continentur. Cujus rei cauſa videtur, quod nihil aliud ſit ratiocinari, quàm multiplici ratione judicare; ubi nimirum mens tertij alicujus interventu inter alia duo, diſſimilitudinem aut diſparitatem eorum, illius ope notat; aut è contrariò, iſthæc analogiam quandam ad ſe invicem, vel etiam eodem planè modo habere advertit. Propterea verò facultas expendendi rationum momenta haud alia videtur, quàm quæ judex nominatur; præterquam quòd circum plura verſetur, & judicia ſemper præmiſſa agnoſcat; unde habitus quidam ſuperinducitur, per quem ad ſumma rerum *Error à judice venit in ratiocinandi facultatem.*

 ſcandit,

ſcandit, retegítque earum fontes, ad quos adire niſi mente ſolâ nullatenus licet.

*Eadem utrique facultati organa.*

Interim non diverſa videntur organa ad hoc operis comparata; quoniam ratiocinandi ijſdem ac judicandi facultas afficitur. Quod quidem in amentibus patet; quorum duos probè nôſſe contigit, qui mathematicis imbuti erant diſciplinis; & qui, tametſi poſtulata non ſemper à ſanâ mente proficiſcerentur, ex hiſce tamen conceſſis per mentis alienationem juxta leges ibi traditas recta inferre pariter atque ſani ſoliti fuerunt. Unde ſanè vix alia ambabus hiſce facultatibus organa crederem, aut ſaltem arctiſſimam inter gemellas connexionem hinc prodi: Quippe quibus errores ijdem; & id omne quicquid pravi haud ſecus ac recti in judicijs haberetur, quaſi progredientibus eodem pariter modo in ratiocinijs obſervarentur.

*Mentis veritas.*

Ad hunc itaque modum mens res vel rationes inter ipſas complexa ex contentis in ijſdem ſententiam elicit; quæ ſi hiſce congruit, neque plus minúſve quàm inibi ſitum eſt colligit, recta & vera eſt; ſin ſuprà vel infrà cadit, aliquid falſi comprehendere

hendere poteſt. Sicuti menti à ſcopo aberrare licet, quandocunque à normâ recedit. Hæc verò nulla eſt præter rem ipſam, ad quam per omnia quadrare mentis conceptus atque judicia oportet. Ideóque Grammatici nonnulli nomen *veri* ab intenſivâ particulâ *ve rei* præpoſitâ deduxerunt; & ſcriptores Romani uſi fuerunt *vero*, tanquam oppoſitum eſſet ei, quod opinione receptum eſt; & ſiquando verum latere quemvis nequit, tum demum oppoſuerunt huic, quod ſolum prætexitur, neque ex ſincerâ mentis ſententiâ oritur, ſed fictum quiddam eſt; & ſic contrarium eidem ſtat mendacium. Et Græci quidem verum, quod ad rem ipſam quadrat, ἐτεὸν vel ἐτήτυμον dicunt; ſicut integrum apertúmque mentis ſenſum denotant voce ἀληθείας, quòd nihili oblita mens totum prodat, vel quòd nihil rei proprium ipſam fugiat. Quod autem non longè ab hâc normâ recedere videtur, veri ſimile hoc ipſum dicitur; ubi ad modulum minùs accuratè reſpicitur.

*Veri ſimilitudinis gradus.*

Quinetiam gradus plures ſubinde apparent, quibus ſententiæ judicis ad veritatem propiùs accedunt, non tamen ad ipſam penitus pertingunt. Alia quippe res aliâ veri

ri ſimilior apparet, prout ſuam ipſius naturam apertiùs præ ſe fert, & clariori luce judici offertur; ubi tamen eadem non adeò diſertè exprimitur, ut tanquam veram ſecurè amplectaris. In hiſce verſatus judex acutùm cernere debet, quòuſque fides adhibenda eſt, & quatenus ſpeciem rei non ipſius naturam induit. Deceptio enim ex his oriri conſuevit, quæ proxima eſſe veris monſtrantur. Neque ſanè circa prorſus diſſimilia falli quiſpiam ſolet, nec ſine causâ datâ quare aliud pro alio haberi queat. Quapropter hallucinatio contingit in rebus ſubtilibus, quæ ſolis curioſiùs inſpicientibus diverſæ à ſe invicem ſecernuntur.

*Erratur per præcipitationem.* Quoniam autem naturam rerum preſſiùs inſequitur judex, ut qualis ſit dignoſcat, faciliùs ab eâdem abducitur, niſi, quâ ipſæ tempeſtate veniunt, nôrit; & quando ad maturitatem exurgunt, & quàm citò hæc tempeſtas tranſitura eſt, ſi intra debitos temporis terminos non apprehendatur. Hæc quippe tempeſtatum cognitio idipſum eſt, quod agendi facultatem regit, ſingulá-que opera tractandi, in quibus ſententiam præcipitando frequenter occaſio errandi datur. Quanquam enim in negotijs ſit aliquis

temporis

temporis articulus, quando maturitas adeſt, & quando optimè eadem tractantur; quis tamen ille ſit non perpetuò ſtatui poteſt, niſi uſu repetito, unde experientiâ judicis decretum ſtabiliatur. In errores quippe ab hâc parte proclivior videtur hæcce facultas, quàm in eos qui diutiùs morando naſcuntur. Errores ſiquidem ex nimiâ feſtinatione ij ſunt, quorum ſæpiſſime homines poenitet. Quod quidem ex prolixo rerum uſu ſeniores diſcunt, dum junioribus raró hoc nôſſe contingit. Cujus rei cauſa palàm eſt; quoniam intus hiſce rerum ſpecies accelerantur, ocyúſque pertranſeunt, nec ſatis diu ad ſententiam ferendam cognoſcendæ apud judicem manent.

Ad errores propterea hujuſmodi præcavendos utile videtur præſertim parallelas tenere cauſas; & ferè ad exitus reſpicere, non verò ad illas ſpectare duntaxat quomodo in præſens habent, niſi quatenus ex præſenti ſtatu quid futurum eſt colligere liceat. Id quod rationi magis conſentaneum videtur, quia animi affectus noſtris in præſens conatibus alas addunt & quaſi calcaria admovent, urgéntque fortiùs adeò ut juniores non videant, quàm inſignis ut pluri- *Periculum ejuſdem.*

mum

mum frænorum opera ſit ſupra eam, quæ ex ſtimulatione proficiſcitur. Siquidem omni feſtinationi, omni celeritatis gradui periculum eo ipſo nomine accedit, quòd non datur perpendendi tempus, quodnam ex ſingulis eventurum ſit. Imò & idem fermè accidit judice inconſulto agere, atque ipſum in conſilia non ſua proripere. Quòd ſi in periculis verſatus ex ijſdem effugere conetur, nónne itidem huic opus eſt conſilio inſtantaneo; ubi momentum temporis amiſſum nunquam revocari poteſt? Qualia nimirum viris ad ſummos evectis honores contingunt, ea ſæpe ad hanc facultatem non pertinent; verùm à vi externâ reguntur, ac conſilij expertia minimè niſi adverſis rebus repentè intellectum dantibus debentur. Talis ſcilicet facultas ex largâ experientiâ per ævum rebus difficilibus probato nonnunquam conceditur; quæ proinde felix & auſpicata potiùs quàm conſilijs nobilis meritò æſtimatur.

*Unde hæc facultas conſummatur.* Ad conſummandam proinde facultatem judicem requiritur non modò præſentium cognitio, verùm & præteritorum ſimilium recordatio, ſimul ac futurorum præviſio: ſicuti

ſicuti ad proferendum ſententias, aliiſque uſui futuras tradendum imaginandi vigor, qui delineare conceptus ac dein dictionum propriarum delectum inſtituere valeat. Et præſentium quidem cognitio tam imperfecta ferè eſt neque fidenda, niſi cætera duo in ſubſidium adhibeantur, ut meritò incerta audiat. Nam ex uſu rerum errores abunde patent, & non niſi reſpectu ad eundem habito, ex quo veri ſpecies ab ipſo dignoſcitur, corrigi queunt. Hoc quippe facultas judex exercitatur, quòd decipi ſeſe olim agnoſcat, notétque eadem recurrentia, quando ſibi oblata ſunt. Hæ verò notæ reconduntur tanquam ſigna peculiaria in poſterum cognoſcendi; unde & firma redduntur decreta; & mens progredi poteſt nova indies accumulando, quibus fidem præſtet. Itaque certitudo ejus quod adeſt ferè ex præcognitis conſtat; quemadmodum in vitæ itinere idem propè experimur, ac illi qui peregre proficiſcuntur, ubi, quum primùm loca viſant, nomina perquirunt, & quæcunque ad eadem pertinent ſciſcitantes hâc cognitione contenti ſunt; poſtea verò repetentes quæ fuêre dicta, aut vera falſáve eſſe tandem decernunt. Quæ ſanè norma

ma unica apparet, ad quam res, quales extra mentem exiſtunt, certò præfinire licet.

*Laudatur autorum lectio & examinatio.*

Quoniam autem ex tali lege ſolâ tutò ſententia ferri ſolet, & memoria ſæpe fallit, quum de accuratâ rerum cognitione diſceptetur, ideo omnia hujuſce ſubſidia in uſum ducenda ſunt. Hinc variorum ſcripta autorum, variarúmque gentium ac ſeculorum huic opem nunquam ſatis laudandam afferunt: Utpote quæ produnt, non modò quâ res facie apparuerunt, ſed & quiſnam fuit eventus: Aliquando itidem errores notant, in quos alij imò etiam clariſſimi viri ſeducti fuerunt; & quî pariter alij ſe ab ejuſmodi allucinatione tutati ſunt. Atque ita cùm eadem crebrò non ſine optato ſucceſſu tententur, greſſus hâc ratione docti ſtabiliuntur; ac mentis illa fluctuatio prorſus tollitur, quæ duce illiuſmodi carentes perpetuò urgere conſuevit. Quinetiam ſententias apud autores prolatas de re quâlibet examini frequenter ſubjicere operæ pretium eſt, tacitéque mente revolvere, qualibus innixæ ſunt fundamentis, & quo pacto ad ea ſolvenda conducunt, quæ jam pro-

propoſita ſunt. Nempe talis librorum uſus, dum ſimilia cum præſentibus conſerantur, & ex ijſdem bene vel malè cedentibus quidnam eventurum ſit, decernatur, experientiam alienam ſuppeditat, & quatenus noſtrâ ipſorum confirmetur, novam proinde fidem adhibendi cauſam ſuperaddere potis eſt.

*Exinde præcognitio eorum quæ eventura ſunt.*

Itaque niſi futura aliquatenus proſpicere liceat, non ſatis inſtructa eſt mens ad præſentia cognoſcenda. Sæpe numero enim res in ſe plura complectitur, quæ ſuo tempore ſe prodent; qualia in æquâ perpenſa trutinâ præſentibus jam notis præponderabunt. Hæc igitur omnia judicis conſiderationem merentur, antequam aliquid ſapienter conſtitui poſſit. Et hæc quidem præcognitio eorum, quæ eventura ſunt, maximè oritur ex præteritorum notitiâ: Nec ferè aliunde deſumi poteſt, quoniam contemplationes rerum antea geſtarum inopes perpetuò ferme illudunt, & vix omnino veræ experientiâ probantur. Veruntamen ejuſmodi contemplationibus eòuſque indulgetur, ut eaſdem inter cauſas judiciorum primarias reperire non inuſitatum ſit. Nec ſanè alia quævis magis hâc facultate

tate utentes lactant, quàm præconceptæ rerum opiniones quatenus per hypotheſin exponuntur; cui quidem priùs addicti fuerunt.

*Non ex hypotheſibus.*

Tota enim hujuſmodi hypotheſios vis rarò aliij, quàm facultati imaginandi debetur; ideóque tametſi effingatur tanquam rationi conveniens, non tamen plus evincit, quàm quòd ſimile quiddam concipiatur, aut quòd talis ſit ratio, quâ res fingi poteſt, non verò omnino quòd ita reverâ ſe habeat. In quo quidem negotio frequenter peculiarium quarundam dotum nomina traduntur, quales nunquam cuivis mentis facultati innoteſcere poſſunt, etiamſi in rerum naturâ jam tum exiſtere crederentur. Hâc de causâ ejuſmodi commenta unà cum autoribus ſæpe ipſis commoriuntur; quoniam inter naturæ opera locum nondum obtinent, ſed tanquam placita arbitraria propugnatore carentia in poſterum negliguntur. Ac proinde quæcunque ſeculorum plurium examen paſſa, clariora dein potiùs quàm obſcuriora evaſerunt, talia ſanè opera fidem merentur attentionémque eorum, qui ad verum ſincerè exquirendum animum appellunt.

Inter

Inter hæc ſcriptores claſſici laudantur, ſaltem quod ad dictionum rebus congruarum proprietatem, ſenſúmque communem interpretandi modos elegantes perſpicuóſque: Quibus igitur moris eſt pueriles imbuere mentes, & in ſententijs pulcherrimè ibi prolatis teneros occupare animos, ut aptata ſibi veluti exemplaria imitentur. Quâ in re cernere eſt hoſce, qui eorum ſtylos ſibi æmulandos propoſuerunt, vix unquam confuſa aut vaga, ne dicam futilia aut inepta, literis mandare: Et tametſi vera, quæ in arcano naturæ ſinu & intimo illius penu reconduntur, minimè depromant, à communi tamen ſenſu raró procul abſcedunt; verùm qualia bonæ menti probantur plerumque reperiunt, & ejuſmodi reperta præſentibus cum Gratijs tradunt. *Laus ſcriptorum claſſicorum.*

Ad hoc argumentum pleniùs elucidandum non inutile videtur advertere, quòd laus hujuſce facultatis, quatenus in ſcriptis verſatur, conſiſtat in complexione & veluti conſtrictione eorum, quæ in re quâvis ad ſcopum pertinent; ſicuti etiam poſtea eorundem per dictiones proprias expoſitione. Cui interim operi non ſatisfit, conceptum *Præſtantia judicis dum in ſcriptis verſatur.*

rebus congruum reddendo; quoniam licèt exinde rem quivis clarè tenere poſſet, plus tamen requiritur ut alijs diſtinctè atque explicitè tradat. Unde ſcriptorem oportet non modò omnes argumenti partes callere, verùm itidem ſingula ea lumina, quibus opus eſt, ut commodè lectoribus proponat; ſecùs vim ſuam ipſâ forſan tranſmiſſione deponat, ac debili languidòque modo mentes alienas agitet. Enimvero clarè ac perſpicuè res ſingulæ ſingularúmque proprietates prævidendæ ſunt, ut mens idoneè ſenſa ſua alijs per ſcripta pandat. Ac proinde inter rationes utiliſſimas judicem caſtigandi atque incorruptum ſervandi recenſeri meretur ſententias ab ipſo latas plenè verbis deſcribere, ac dein experiri quàm leviter alienam mentem iſthæc edita in lucem tangunt, quæ tam vividè ſuam feriunt. Quinetiam ut ſingula judicia literis prodendo clariùs concepturus eſt, ita hæc ipſa recognoſcendo poſtquam diu aſſervata fuerint, atque ardor, quem meditandi labor ſuſcitârat, reſtinguatur, evadet demum judicandi peritior, perinde atque in ſcriptis ſuis emendandis oculatior. Quòd ſi ita res quoad ſcripta ſua habeat, quum jam animi vehementia reſederit, quidnam de aliorum

judi-

judicijs circa hæc ſtatuendum, quos non ſemper nobiſmet æquos, non ſemper præjudicijs vacuos habere par eſt? Hâc de causâ nunquam ſatis laudanda eſt imaginationis opera, quandocunque nutui mentis promtè pareat; ſine quâ facultas judicandi exquiſitiſſima intra fines anguſtos coarctabitur; quæ tamen adjuta imaginationis elegantiâ latè lumina disjicit, ſplendorémque ſuum aliorum mentibus collucentem videt. Iſtæ ſcilicet, quæ flammas ejuſmodi non concipiunt, frequenter lumen alienum referire, radióſque licèt vi propriâ gloriâque minùs claros remittere poterunt. In hunc modum ſiquando argumenta eſſe arida judici videantur, diffluere docet imaginatio; quæ jejunis itidem copiam ſufficit, frigida calfacit, & calentia refrigerat; tenuia incraſſat, vel craſſiora attenuat; humilia tollit, vel in altum præter fas rectúmque & quaſi per tumorem elata ad æquabilem naturæ ſortem deprimit coarctátque.

Ex adverſo deficit judex, quando majora vel minora, plura vel pauciora admittit, quàm ad juſtam rei magnitudinem aut naturæ modum conducant. Hujus quippe *Vitia ejuſdem.*

loci ſunt variorum à ſe invicem longè remotorum unà complexus, nec non ad idem præcipuè ſpectantium neglectus; divagatio à re ipsâ de quâ diſſeritur, in alias ſexcentas; rerúmque à ſe mutuò abhorrentium, quaſi unius eſſent gregis, conſociatio: Ubi longiùs à finibus communis ſensûs extra citráve deerratur; ut non, quæ natura fert, ſed quæ eidem adverſa ſunt ac repugnant, hiſce excogitatis inhiet; útque eadem proinde nullo delectu, nullo prorſus conſilio, niſi tanquam inania ac mentis non bene ſanæ figmenta proferantur. Hâc de re eadem in agris, eadem in urbium frequentiâ notantur; eadem feris, eadem domeſticis tribuuntur; omniáque ſoluta ordinibus, ſoluta legibus privatim aut publicè deſcribuntur. Atque ita neglectus aut ſublatus decor, ac nulla vivendi norma conſtat aut intelligitur.

*Puritas fons perſpicuitatis.*

Advertere etiam hujus loci videtur, quæ ſint ejuſmodi enitentis perſpicuitatis cauſæ, aut, quod eòdem propè recidit, quænam ſit ea dictionum puritas, cui tanquam fundamento gratus ille modus ſenſa interpretandi innititur; cujus dein interpretationis vis apud judicem tantum valet. Et ea quidem

dem puritas hoc pacto apud Latinos nata eſt: Nempe poſtquam rem prævidiſſent, fortitérque cogitâſſent, ad eam aptè delineandam verba delegerunt; quæ, ſi nova proferenda erant, à communi linguæ fonte deduxerunt, & parcè eadem detorſerunt. Græcus nimirum ſermo Romano fons erat, ideóque petenda ex eodem nova ſuaſit (*a*) Horatius: At ſi vocabula non deeſſent, eadem promere, quæ auribus eruditis non offenderent, nec inſuave atque acerbum ſonarent; vel quæ uſus jamjam repudiârat. Quæ ſanè ipſis plerumque curæ fuerunt. Illud interim, quantum uſus volet, ſervandum ſcriptoribus vocabula nova introducentibus, ut nulla extundant, niſi quæ antiquitus jactis fundamentis, ídque lege Analogiæ quatenus licet, extruantur. Secùs novum memoriæ onus ſine fructu congeretur, atque dum eadem, quæ priùs dicta fuerint, eduntur, obſcuritas ſaltem, ſi non error enaſcetur.

Norma proinde puritatis eadem aliquatenus eſſe poteſt, ad quam nobiliſſimi olim *Norma puritatis.*

(*a*) De arte Poëticâ.

ſcriptores opera ſua concinnârunt, quæ ſummè poliverant, nec imperfecta ederentur; nimirum ſi eas ſeligere dictiones placeat, quæ analogiam naturæ minimè diſplicentem referant, in quibus fontium puritas adhuc tranſluceat; quippe quæ ab ijſdem non longiùs, quàm opus ſit, remotæ, nec cœno vulgari commiſtæ, aut ab imperitis turbatæ fuerint. Sic Plautina aliquando nimis turbam ſapiunt; neque ita terſa ferè apud priſcum eum autorem, quàm qualia apud Terentium laudantur. Vix quidem credas plures hujus locutiones in ore vulgi tunc temporis fuiſſe; at cum eodem ſimul Lælium & Scipionem loquentes audis; ideóque Ciceronis peculiares quaſdam elegantias apud Terentium legere eſt; unde dignus videbatur, cujus veſtigijs nonnunquam egregius ille locutor inſiſteret.

*Qualis optanda.* Nec profectò prætereundus puritatis ille fons, qui eximiè quidem laudandus, rerum videlicet natura; quam quoniam adire ſemper licet utpote non hominum moribus variiſve opinionibus immutatam, quæ ex eâdem oriuntur dictiones in ſempiternum claræ eſſe poſſunt. Ijſdem verò opponuntur

nuntur quæ ex gentis cujuſdam conſuetudine deducuntur, qualis fortè aut ignota ſit, aut vix cognitu aliâ de re digna, quàm ad locutionis ſenſum probè capiendum. Verum ſanè eſt, linguas quaſvis ex uſu populi hujus vel illius provenientes multò magis iſtiuſmodi dictionibus quàm cæteris abundare, & quidem in ſingulis gentibus penes uſum loquendi norma ſtatuenda eſt; ideóque ex proprijs populi ſui moribus Romanum loqui decere; At præſtat ex hujuſmodi linguæ pomœrijs, quæ jam non niſi eruditorum eſt, eaſdem exterminare, aut ſaltem non niſi neceſſitate adactos in ſcriptis uti, quæ à conſuetudine pendent, cujus nullum unquam momentum dari poteſt. Ac modò hoc fieret, limpidiùs flueret ſermo, ijs præſertim vocibus ditatus, quarum fontes lucidi in naturâ extant, quaéque non ad unicam duntaxat gentem pertinent, verùm ad doctorum nationem, ubicunque per orbem ſparſa fuerit.

Quoniam judicandi facultas tot tantíſque dotibus clara eſt, ideo pro integrâ mente *Judex pro mente tot.*

 ab

ab Hippocrate (*a*) uſurpatur: Sicuti judicia vel ſententiæ eodem apud alios autores nomine Gnomæ appellantur. Quò pertinet locus ille Xenophontis (*b*); *Verba quidem ut parum ad inſtitutionem conferunt, ita Gnomæ ſunt utiles, ſi doctrinam egregiam contineant. Vituperant autem & alij plerique profeſſores iſtos ſapientiæ ſeculi noſtri, non ſapientiæ ſtudioſos; quòd in verbis non animorum ſenſibus ſapientiæ ſuæ acumen oſtentent.* Quale quidem judicium de ijs proferri videtur, quibus priùs verborum delectus inſtituitur, quàm de rebus ſignatis à judice agatur: Quoniam hoc ipſum ordinem inter facultates invertit, juxta quem rerum apprehenſio præcedere dictiones debet. Quin & ſiquando eaſdem enarrare placeat, verba ipſis quadrare par eſt. Idque quia ex verbis ſolùm decreta hujuſce facultatis, conditióque exinde totius mentis certò cognoſci poteſt.

(*a*) Ὅσα γὰρ τὴν τῶν ὀμμάτων ὄψιν ἐκφεύγει, ταῦτα τῇ τῆς γνώμης ὄψει κεκράτηται. Περὶ Τέχν. Ὁκόσοι πονέοντές τι τοῦ σώματος, τὰ πολλὰ των πόνων οὐκ αἰσθάνονται, τουτέοισιν ἡ γνώμη νοσέει. Ἀφορ. T. 11, 6.

(*b*) Κυνηγητικ.

Ut

Ut autem hæc facultas non ſuo jure ſolo ſententiam ferre conſuevit, at prout rationum momenta inclinant, proximum videtur in ea inquirere, quæ apud eandem præſertim valent: Qualia quidem ſunt, quorum vi impellitur, aut quorum utilitate adducitur, quorum voluptate trahitur, quorúmve ambitu occupatur. Affectus imprimis animi vehementiores atque appetitus ſunt, qui vim judici aliquatenus inferre dicuntur, & qui ſæpe in partes ſuas valenter inclinant. Quamvis etiam illud conſtet, quòd, quicquid veri ſummâ perſpicuitate inclareſcere ſentiatur, hoc ipſum ſolummodo vim propriè acceptam huic facultati jam ſanæ vigentíque inferre poteſt. Reliqua proinde omnia inter incitamenta recenſeri queunt; utrùm talia fiant, quòd utilia aut quòd jucunda vel honeſta videantur. Propterea verò, quod in ſe hæc tria complectitur, maximè apud hanc facultatem valeat oportet, nimirum Potentia, quatenus ſecum utilia, jucunda & glorioſa affert. Potentia interim dominio annectitur, & pro ejuſdem amplitudine ad latiora extenditur, vel intra anguſtiores terminos coërcetur. Quapropter unico nomine *Rerum momenta cognoſcit.*

mine facultatum cùm potentia tum divitiæ comprehenduntur. At quoniam hæc mentis facultas eodem propè munere ibi fungitur, ac qui jus in forenſibus decernendis dicit, ideo & ipſa illinc nomen Judicis mutuò accipit. Interea autem omnis hæcce potentia, omnes facultates non niſi inane nomen illi ſunt, qui uti nequit; ideóque artes quæ uſum earundem facilem gratúmve reddunt, in pretio habentur, prout magis vel minùs in hunc ſcopum diriguntur; quare & judicia peritorum plurimi æſtimantur. Atque hæ ſunt mentis opes, quæ propterea perinde ac quævis pretioſiſſima valent. Proinde quoniam ſi cui bene valere non licet, is vitâ ipsâ frui non poteſt, nedum facultatibus, voluptatibus aut honoribus, ſecunda certè valetudo, artéſque dein eandem tuendi, judiciáque eorum qui eaſdem calluerunt, meritò primas obtinent apud judicem æquum rerum æſtimatorem.

*Judicium de Hominibus.* Præcipuum proinde judicis officium ſpectare ad homines ipſos videatur, ut tanti, quanti ſunt, æſtimentur, atque ut eorum naturæ dotéſque quaſi ad ſtateram examinentur; ídque ut eædem conſerventur excolan-

colantúrque optimâ ratione, atque ita publicæ utilitati inſerviant. Intereſt quippe omnium temeraria de talibus judicia minimè edi, quales ad editiſſima munera conſiliáque evehuntur.

*Hujuſmodi diſquiſitio de judice permagni eſt momenti.*

Ex prædictis conſtat quanti eſt momenti hujuſmodi de judice variiſque illius ſententijs diſquiſitio. Quò dilucidiùs ergo hoc argumentum exponatur, quóque pleniùs hujuſce facultatis integritas ſimul ac malè ſanus intelligantur habitus, diſpicere non abs re erit prima in teneris rudimenta, atque unde ex ſimplicibus ad intricata pervenit, ac dein ex imis ad ſumma rerum faſtigia caput attollit.

## Cap. XIII.

### *De ortu atque incremento ejuſdem facultatis.*

*Proſpectus initij atque incrementi ejuſdem.*

DILUCULUM in parvis ante hujus ſolis ortum tunc temporis aperiri conſtat, quando dignitatis ſuæ conſcij ijdem compareant, & ſeſe inter coætaneos eminere ſtudeant; quando itidem facilè conſervent, quam acquiſierint, dignitatem. Primùm quippe eluceſcit hæc facultas cognoſcendo ſeipſos clarè ſenſiſſe, ac dein conferendo ſui ipſorum naturam cum vi aliorum ingenitâ, & poſthac ſententiam de ordine gradúque, quem occupant, ferendo, & hunc qualis reverâ ſit, factis dictiſve eidem paribus monſtrando. Quæ ſi recta à coætaneis agnita fuerint, adeò ut ijdem æmuli illorum obſerventur, priuſquam invidiæ mala pueriles animos torſerint, indicium hoc manifeſtum

feſtum videtur mentem jam in ſublime tolli, ac proprio ſibi modo ſeſe ultra communes coævorum terminos efferre; ſicut inſignis ſtaturæ proceritas inter homines facilè cernitur.

Eſt tamen dos hanc facultatem ſimulans, quæ ad præcocia nonnunquam ingenia pertinet, verùm qualis ex imaginatione valenti provenit; at quam cæteri quantumvis admirentur, non tamen eo modo ſuſpiciunt aut venerantur, quin de eâdem tanquam ſodales divexante ac non innoxiâ querantur: Ex quo ingenij quidem fonte ſales ſubinde mali argutiæque exundant, eò quòd inania pro ſolidis amplecti conſuevit, nugáſque ſplendidas vel ſonoras pro rebus magni momenti divendit. Atqui nil planè auctoritatis apud æquales plerumque adipiſcitur vel diu conſervat; aſt ex levitate ſtatim à verá iſthâc mentis celſitudine dignoſcitur, quam certè hoc ingenium imitari potiùs quàm eſſe amat. Ideóque tali ingenio præditi vix unquam ad grandiora evehuntur, aut ſi fortunæ eos evehere placuerit, jamtum diſtinctio innoteſcit, atque ex loco editiore futilitas vanitáſque palàm conſpici ſolet. Nempe judicandi facultas *Dos illam imitans.*

arctiſſimè

arctiſſimè perceptis adhæret, neque imagines rerum adumbratas pro ipſis amplectitur; nec verbis ſpecioſis decipitur, at res ipſas attentè intuetur, quídque eædem ferant, quídve ijs ineptè affigitur, æquâ lance perpendere ac cognoſcere ſummo ſtudio annititur.

*Quare exemplaria utilia.* Ingenia autem hujuſmodi rara hîc illic proveniunt. Felicitas plurimorum eſt, qui per imitationem ſolam excoluntur, exemplaribus paucis familiariter priore ævi tempore uti, ut ad eorum normam comparentur, & talium judicia pro ſuis adoptent: Unde ſanè ſocietates hominum ac civitates magis florent vel effœtæ ſunt; unde etiam integra ſecula vel honore vel dedecore atque ignominiâ afficiuntur. Siquidem ſententiæ de puerilibus rectè prolatæ normis erunt rebus majoris famæ in futurâ vitâ ſuſcipiendis; atque ita ratione modò magnorum habitâ, quæ parvis initijs componenda, paritérque pro moribus ævi longè diverſi tractanda, eædem regulæ ad negotia maximè ardua referri ſolent. Adeò ut qui puer ævo ſuo convenientia cum laude æqualium dicit agítque, næ illum in ſuperioribus verſatum ordinibus propria virorum

rorum operibus judicia vix deficient; meminerit modò ſimiliter per omnia alia ſe habere parváque ac grandia. Illud quippe philoſophi acutè dictum tandem experti comprobabunt; *Nos majores pueri ludimus majoribus pupis.* Ad hunc verò modum eadem facultas, quæ apud pueros feliciter olim luſerat, non inani ſtudio ſuccedit, quum diutino labore exercitata ad ardua civilis vitæ munera adhibeatur; qúmque non ſolùm privata ſibi commoda tractet, verùm & amicis conſulat, eáque deſignet, quæ patriæ utilitatem gloriámque acquirant.

Creſcit nimirum hæc facultas à parvis iſtis initijs, eodem plane modo quo maxima naturæ opera; eóque magis ſtabilitur atque in ſummum tutiùs evehitur faſtigium, quò lentiùs progreditur, & quò firmiori pede greſſus ſingulos figit: Quemadmodum robora firmiſſima, arboréſque aliæ celſiſſimæ, quæ cœli varium morem perferendo, ſenſim adaugentur, & paulatim novos edunt ramos; ac dein nova ex ſeminibus ſuis germina undiquâque conferentes addunt ſibi ex propagine ſuâ densâ ſylvas ſaltúſque; ubi copiâ non modò ipſæ *Tardè creſcit hæc facultas.*

ipſæ tutiores ſint, ſed & dominorum tandem uſibus pleniùs inſerviant.

*Sit cura puerorum maxima.*

Ex quo fit ut rudimenta, quæ teneris ſubjiciuntur, curam mereantur maximam; utpote ex quibus omnia reliqua vitæ humanæ emolumenta extruuntur. Siquidem hæc facultas exercitari poteſt, ſi indiſcriminatim pueri per ludos quævis non capiunt, verùm in rationes omnium inquirunt, nec ſine causâ cognitâ etiam in ipſis verſantur. Quin & hallucinatio perpetuò inter ludendum jure reprehenditur, & ſingula rectè cognita laudem merentur: Quâ ratione attentio mentis excitari, uti & curioſa eorundem, quæ ad luſum ſpectant, utrùm felicia vel inauſpicata conſequantur, ſciſcitatio provocari poteſt. Hiſce verò lusûs generibus idonei ut frequentiùs interſint pueri optandum foret, ut ubi errori undiquâque locus ſit, & ut qualis eſſe ſolet potéſtve oculis tenelli judicis aperiatur. Tum verò ibi monendum, ut indices recti perſcrutentur, videántque quàm prope errores ſemitæ ad verum ducentes ſitæ ſunt; quantáque ſimilitudo earum, quæ in falſum terminantur, atque harum, quæ verſus pomœria veritatis tendunt. Quippe nihil judicis

dicis naſcentis greſſus firmiores reddit, quàm ut ſæpe de caſu periclitetur, ídque periculi ut apertè eidem monſtretur. Quale corpori accidit, dum vires colligit crebrò ambulationem tentando, poſtquam paulatim faſcias exuit; aliáque dein ſubſidia in uſum ducendo, quæ erectum progredi juvent, vacillánſque inhibeant; cujus dehinc lapſus in minoribus leviter feruntur, dum ex ijs graviores vitari queant: Tali ſanè modo & mens ipſa in agilitatem ſibi propriam proclivis, nunc labi ſine crimine ſinenda; & labendi levia ejuſmodi ſentire incommoda, quò graviores fugere certiùs errores diſcat; nunc & nova audere, & per itinera ſibi nondum nota verum requirere hortanda, quò clariùs falſi facies innoteſcat, uti & quàm facilè recti ſpecie decipi poſſit, addiſcat & accuratè teneat.

*Varia tentanda.*

Dehinc fiduciâ quævis innoxia tentandi exercere par eſt, ut novitate, quam nil vitij comitatur, nec ſtupeat nec terreatur. Enimvero poſthac ſatius futurum eſt, puerilem ætatem nil credere difficile, quod non nociturum eſt, & nihil alienum, niſi cui malum ſubeſt. Experiri igitur quid

 gratum,

gratum, lepidum vel amœnum ſit maturè incipiat, quídve nauſeam delicatis pariat, aut inficetum planè atque inſulſum ſapientiæ audit. Sententiam interim ſuam ſine ejuſdem cauſis, quales ſibi videntur, aſſignatis ne quidem proferre fas ſit. Dubitare non modò concedatur, ſed & diſceptare quærendi gratiâ; imò à tritâ deflectere viâ minimè vereatur, dummodo quare idipſum placeat, & quodnam exinde emolumenti, dum vulgatum deſerit iter, ſperet, exponat.

*Non cogendi juniores ſed ratione ducendi.*

Profectò cogere juniores judicia eorum amplecti, qui non aliam cauſam cur ipſi tueantur, dedêre, niſi quòd in hæc fortè inciderint, ac tanquam communem coætaneis ſuis modulum ſentiendi opinati fuerint, iniquum eſt; non modò propterea quòd jus in poſteros illiuſmodi arrogetur, quale à nobis ipſis majoribus negatur; verùm etiam, quòd ſententias, quas noſmet tradimus, pueri tueri nequeant, niſi eorum facultas judicandi de placitis noſtris decreta ſua ſancire nôrit. Etenim ſi nihil ultrà poſteris inveſtigandum relinquatur, ac judicia jamjam prolata perpetuò amplecti præſtet, quàm immutare,

no-

novâque ſibi aſciſcere; attamen hæc exercitia liberè in utramque quæſiti partem diſſerendi prorſus utilia etiam forent ad noſtri ipſorum tuendum ſententias; quantumvis, inquam, ampliandi, iiſque rectius aliquid adjiciendi, aut pomœria veritatis extendendi copia haud facta fuerit. Hâc de causâ quo tempore diſciplinæ, per ſecula obſcurorum nomen merita, unicâ illâ quæ ſcholaſtica nominata eſt doctrinâ (an dicam ſolertiſſimâ Italorum arte?) obrutæ jacerent; mos tamen acriter diſceptandi, qualis qualis erat, ideo obtinebat, quoniam autores hæc illaudata, ac tam longè à naturæ judicijs diſſita tueri non poterant, niſi exercitatione tali facultatem hanc catenis vinctam libertate aliquatenus donarent, atque ad incondita ejuſmodi amplexanda idoneam jugo gravi ferendo redderent. Tantum valet ſimplex nudáve libertatis ſpecies, ut ipſi ignorantiæ patroni ſimilem liberæ diſceptationis morem introducere cogantur, ne ipſá ignorantiæ mole imperium ſuum tandem oppreſſum ruat.

Quinetiam, quantumvis mens humana ſeculis iſtis evileſceret, nec ſententiam aliam admittere auderet, quàm qualis ex re *Quî Libertas Judici reſtituta eſt.*

Romanâ eſſet; tantum tamen auxilij in liberis diſceptationibus ſitum eſt ad excitandam ſupinè jacentem hanc facultatem, ut ex diſputandi (quod vocarent) copiâ factâ, licèt materia ſatis anguſta eſſet, utpote quæ integra ad decreta Pontificis confirmandum & ante illius pedes proculcatam mentem proſternendum referretur, orta demum ſit eorundem decretorum examinatio: Quam mox ſecuta eſt ipſorum repudiatio; ſicuti eos decuit, qui triumphali Pontificis Romani currui ſeſe devinctos fuiſſe jam conſcij evaſiſſent, & ſemet proinde antiquæ libertati aſſerere conſtituiſſent.

*Judicia de ſignis.* Denique quoniam per ſigna plerumque pervenitur ad rerum cognitionem, ideo de ipſis etiam diſtinctè ſententiæ ferendæ ſunt; cujus gratiâ vocabula ſingulas denotantia fuerunt adinventa. Proinde ad hanc normam puerilis ætas non inutiliter quærit, unde proprietas naſcitur, & quomodo pariter ab eâdem meritò diſceditur. Quippe in illiuſmodi ferè quæſitis probè intellectis primordia culturæ judicis facultatis ſita ſunt. Quin & ex hiſce aſſurgit ad nomina rebus tam exquiſitè aptanda, ut mentis con-

conceptus judiciáque clarè dictis ſcriptíſve prodat. Quale quidem operis genus ei nunquam feliciter ceſſurum eſt, cujus mens hâc facultate decernente atque ad unguem eadem callente non ornatur. Fruſtra enim autores laudantur, quorum verba rebus minimè congrua ſunt; nec verba omnino congruere rebus poſſunt, quæ vagè & non determinatè ad has vel illas æquè pertinent. Imò & in talibus vacillatio, quanquam alia forſan culpentur, pendet à primâ puerorum educatione, quando vim vocum fontéſve earundem proprietatis aut pravè ediſcerent, aut non tanti quanti ſunt momenti æſtimantes veluti rudimenta ſpreverint; qualia verò tanquam fundamenta intueri oportet.

Profectò propter nomina impropriè uſurpata, potiùs quàm rerum ipſarum incertitudinem in errores plerique adoleſcentes dilabuntur: Enimvero quæ interdum laxiùs accepta, interdum arctioribus terminis aſtricta dicuntur, de hiſce nihil certi præfiniri poteſt. Ideo in judicijs ſatis culta hæc facultas vocabulis utitur, quæ omnes ambigendi cauſas undiquâque præcidunt; quod ſanè ab illis fieri nequit, qui artem

*Errores ex malè intellectis ſignis.*

propriè loquendi perinde ac ſcribendi haud-quaquam callent.

*Quæ à fontibus investiganda.* Dehinc autem liquet, quàm utiliter adoleſcentes occupantur, qui in ſermonis vim ſedulò inquirunt, quidnam propriè primò dicitur, ac dein aliter atque aliter à primario iſthoc dicendi more tranſlatum fuit, prout uſus poſtulavit. Cùm igitur ex ſermone, tanquam fœcundâ errorum minerâ, incerta mentis conditio deduci conſuevit; ea ſtabilis reddi nequit, donec ſingula, ex quibus ſermo conſtat, imò & præſertim particulæ, ad examen revocata fuerint.

*Uſus artis Criticæ.* Propterea non ſine causâ artem, quæ in maximè adaptandis dignoſcendíſve verbis cernitur, Criticam appellant eruditi; cujus ſane imperitus fruſtrà in rebus percipiendis earúmque naturis cognoſcendis, nedum quæ ipſe cogitavit depromendis, verſari ſolet.

*Rerum cognitio adjungenda neceſſario.* Illud interim conſtat hanc artem non diſcendam, niſi rerum ipſarum cognitio adjungatur; quippe quibus iſthæc ſigna affigi ſoleant. Quas dein cognitas verbis

diſertis

diſertis ornando, & diſtinctum ſingulis ordinem germanámque ſimplicitatem tribuendo firmitas judici conciliatur; quæ proinde alijs facilè perſpecta eſt, eáque apparet, cui plerique ultro nec coacti invitantur, ac fidem ſponte præſtant. In quâ quidem mentis progreſſione adoleſcentem oportet ſuo ſemper uti judicio, & quaſi ſine cortice nare: Et dum id ſolum, quod in quâque re ſibi probabile videtur, amplectitur, animi vires ſenſim confirmabit. Hujus etenim facultatis æquè ac corporis membra mobilitate plurimùm vigent, & eò pleniùs creſcunt, quò liberiùs agitantur; donec iſtiuſmodi tandem exercitatione ſanitatem acquirunt agilem pariter ac robuſtam. Ex adverſo autem ubi methodus tradendi talis eſt, qualis fidem decretis, etiamſi cauſæ cognoſcendi abditæ ſint, habendam poſtulat; quatenus hæc auctoritas ſancitur, eatenus decernendi facultas extinguitur. Unde mentis quidem vigor perpetuæ quaſi pueritiæ affigitur, neque iſthæc, poſtquam organa maturuerint, ſui eſſe juris valet. Hinc ea naſcitur incertitudo, quæ eòuſque adultos nonnunquam obſidet, ut æternùm magiſtros reſpicere opus ſit, atque in verba eorum perinde

ac ſententias jurare addicantur: Idque propterea quòd judicandi facultas ab illis pendere, nullatenus verò ſui eſſe juris didicerit.

*Judicis maturitas.* Iſte autem à Juventâ gradus, qui noſtram diſquiſitionem jam meretur, tam altè ſitus eſt, ut ſententiam ferre æquam judex queat de animi affectibus; qui vires perpetuùm in hoc uſque ævi tempus colligere ſolent. Nunc enim forma, quæ juventutem irradiat, ſæpiſſime laudata mentem ejuſdem conſciam effert; eámque ferè tumentem ob alias etiam dotes relinquit: Adeò ut valde contumeliæ vim ſentiat, omnémque pro injuriâ obſervantiæ neglectum habeat. Hinc irarum fluctus, odiíque ac ſimultatum, quæ non rarò humana omnia conturbant, origo. Hinc etiam arbitri non inepti deſiderium & neceſſitas. Totum igitur quod extumuit inane vel opplere, vel intra anguſtiores contrahere fines oportet, donec ad juſtum apud æquales ſorte viros modum redigatur. Atque ita judex matureſcit, non verò ad ſummum maturitatis faſtigium pervenit, uſque dum omnia tumentis iſtius habitûs veſtigia deleta fuerint, ac prorſus

prorſus diſpareant. Quin imò ad extremam hanc celſitudinem vix mediâ ætate pervenitur propter animi affectus, quorum vehementia non adeò inhiberi per totum hoc ſtudium conſuevit, quin novas iterum turbas cieant.

*Signa maturitatis. Conſtantia,*

Quamdiu igitur mens cum hiſce conflictatur, incerta prorſus illius conditio patefacit hanc facultatem ad ſummum minimè adaugeri, neque auctoritatem in tantum ſtabilitam eſſe, quantum ad perſonam judicis gerendam ſuſtinendámque requiritur. Verùm quando eaſdem ita partes conſtanter tuetur, ut nec amore, neque irâ metúve, aliâve perturbatione ab inſtituto diduci queat; ſed uno tenore affectuum vehementiam regit, æquámque præ ſe fert mentem; modò cæteræ dotes concurrunt, hicce ſtatus indicat, mentem non eo, quo prius, modo habere, aſt ejuſdem quaſi clavo gubernatorem aſſidere, qui nec malis cedit, nec bonis nimiùm fidit; quíque ſpecie rerum non deceptus gaudiȷs incitatiùs haud effertur, neque irâ vehementiùs commovetur, neque demum triſtitiâ valde deprimitur, aut deſperatione obruitur. Non quòd conſtantis ſit eodem ſemper

ſemper modo ad omnes rerum vices ſe gerere, ſed æquo ita animo eſſe, ut de ſingulis judicia juxta variam rerum naturam diverſa edat, non qualia ex affectibus animi proprijs emanant.

*Et dotum ad judicem ſpectantium conſummatio.*

Dein quæcunque inter dotes hujuſce facultatis enumerantur, eædem in maturitate vigent; ubi nil prius intelligitur, quàm ut imaginationi imperandum ſit. Hæc quippe priore ævi ſtadio judicis æmula eſt, necnon ſæpenumero in locum ejuſdem ſufficitur; adeò ut plures vix diſcernant, quidnam inter haſce ambas earúmque opera intereſt. At quando hæc ipſa maturuerit, non ambigendi adhuc locus eſſe poteſt; quoniam non recti ſpecies ultrà, ſed hoc ipſum quæritur, nec quàm ſimilia alijs alia ſunt, niſi ut inde erroris periculum devitetur, & quomodo ſimilia dignoſcere ab ijſdem liceat. Attamen minimè imaginatricis operam ſpernit, ſed eam audacter frænis regit, ipsámque ſibi ancillari, prout rerum natura fert, jubet. Præcipuum verò judici munus eſt aſſiduè ſcopum pro viribus ſuis dignum intueri; atque ita dignitatem conciliat tuetúrque:

Nec

Nec ſine dignitatis ſuæ conſcientiâ omnino viget.

*Uti & vanitatis caſtigatio.*

Quandoquidem autem dignitas conſiſtere cum vanitate nequeat, ante omnia ideo ab eâdem cavet, & tutiùs ab alterâ parte peccari ducit, nempe modeſtiæ ejuſmodi, quæ humiliora de ſeſe, infra quod par ſit, concipit, quàm arrogantiæ, quæ ad innumera tendit mala, & modum apertè negligens rationi palàm adverſatur. Ex hâc quippe parte majus periculum imminet, eò quòd infenſiſſimos undique hoſtes creet, & ſimul mentis vires ac fiduciam depaſci ſinat, utpote quæ rebus, quales ſibi deeſſe conſcit, vix nórit confidere. Sani proinde judicis maturitati opponitur præcipuè vanitas, quæ ex imaginatione excreſcit; qualis certè impedit, aut in aliud tempus rejicit eorum acquiſitionem, quæ hoc ævi tempore commodè naſcuntur, ipſúmque ornant. Quemadmodum divitias (*a*) eadem deridendas propinat, honorémque inutilem reddit; potentiam etiam terribi-

(*a*) *Fundos Aufidio luſco pratore libenter*
*Linquimus, inſani ridentes præmia ſcribæ.* Hor.

lem,

lem, atque ſcientiam ipſam peritiámque, ut nihili habeatur, necquid momenti ſecum afferat. Interea verò quò magis quiſpiam ad utilia conquirenda ſpectet, eò minoris dotes ſuæ indies ſibi pendentur, & quò plus laudis meretur, eò difficiliora ſentiet, qualia bene merenti perrumpenda ſunt. Profectò mentem laude reverâ dignam reddere non eſt, niſi tantum attentionis laboríſque adhibeatur ad explendos omnes cognoſcendi appetitus, atque ejus aſperiora polienda, tumentiáque dein omnia deprimenda & vitia caſtiganda, ut vanitas rarò locum in mente probè cultâ, ſcientiàque rerum ditatâ inveniat. Quòd ſi fortè in præclaris viris hoc vitij homines falsò conquerantur, & quidem plerumque (ut fit) omnibus ſine ullo diſcrimine imputent, ijdem ferè ſunt, qui invidi, ſimul ac ignavi viam ſibi apertam nullóque negotio monſtratam volunt ad ſapientium templorum adyta; ac honores illos acquirere ſtudent, quos quidem adire hiſce ſolis fas eſt, qui à naturâ pulchrioribus animi dotibus ornati aſſiduos cogitandi labores feliciter perferunt. Tales quippe (ut jam dictum eſt) præclaros eruditione viros tanquam arrogantes aut vanos notare ſemper ſoliti fuerunt

erunt. Hoc ſanè invidiæ genus eſt, quod intellectûs prænobilis pretium indicat, ubicunque ea conflatur. Hujuſmodi verò illuſtres viri & planè heroës ſi invidentiâ popelli perturbentur, exinde diſcere poſſunt perfectam judicis maturitatem ſe nondum attigiſſe, verùm curâ ulteriore opus ſibi eſſe, quâ & radices hujuſce vanitatis præcidant divellántque.

Neque certè hîc prætereundum, quòd nulla facultas fortiori indigeat pectore, ut ad maturitatem juſtam perducatur; quod ſi deſit, fructus ejuſdem velut immaturi, & acerbi aut miti ſapore indotati evadunt: Unde omnia dehinc difficilem redolent ſenectutem. Eadem etiam vix ad perfectam maturitatem evehitur, cui corporis organa eòuſque ſana non ſunt, ut menti inſervire queant. Hinc ſiquidem mens humili indolis ſorti affigitur, animíque imbecillitati ſuccumbit. Eſt enim ubi judex æquam ſortiri mentem nunquam poteſt, quin umbrâ periculi trepidet; nec quoniam tales affectus dominantur, ſui eſſe juris ei omnino liceat. At ſi ætate corporis florente tam pauperis eſſe indolis cuivis contigerit, vix ſperandum poſtea hunccine ad majora comparatum *In quali indole.*

paratum

paratum iri, quum ex illo tempore meticuloſi magis à naturâ fiant homines, quàm animi robore præcellant. Quod quidem in causâ eſt, cur juvenibus tantum ea laudatur, quæ animum adauget educatio; quoniam ſi hæc ipſa tunc temporis neglecta fuerit, poſthac in vitâ robur iſtud minimè acquirendum videtur.

*Comprobatio bonorum.* His autem ſupervenit magnus ille bonorum conſenſus, qui acta incorrupti atque omnia ſani judicis probat: Conſentaneæ quippe tali ſunt eorum ſententiæ, quibus facultatem hanc maturuiſſe palàm notum eſt. Is enim videtur illorum, apud quos judicandi poteſtas inclaruit, communis quidam ſenſus. Interea judicis celebris futuri indicium in omni ætate habendum eſt, ſi qui boni ſunt recta, quæcunque dicit, arbitrantur: Nempe eadem facultas in pueritiâ atque in ſequenti vitæ curriculo ſibi conſtare ſolet. Quemadmodum Cyrus (*a*) puer haud diſſimili judicio ludicra regis exequutus eſt officia, quo in adultiore ætate vera præſtitit: Ideóque tam præcocis in-

(*a*) Juſtin, Lib. I.

genii

genii primitias Aſtyages jure merito admiratus eſt, & non vanum futuræ illius gloriæ agnovit augurium.

*Ætas, quando viget.*

Tempus autem, quando hæc facultas pleniùs fructus edat, vix ſtatuere fas eſt, antequam ad eam, quæ proximè inſequitur, ætatem deventum fuerit: Ubi affectus animi non eòuſque æſtuant, omniáque conturbant. Hîc quippe meliùs conſulitur, quum ardor haud ita dominetur; quúmque ideo moderatiora cuncta placeant. Et enim extra aleam ferè poſita eſt hæc ætas, quæ non huc illuc negotioſâ actione impellitur, qualis junioribus contingit, qui cum coævis ſuis colluctari ferè perpetuò amant. Hinc itidem agitatio mentis non adeò vehemens aut præceps eſt; verùm judex æquâ lance omnia perpendere multò faciliùs poteſt. Ea ſiquidem ævi noſtri tranquillitas ut plurimum videtur, quæ procelloſæ tempeſtati paulò antè prægreſſæ ſuccedit, nec tamen imbecillitate obſidetur, aut tantâ organorum debilitate laborat, quanta officio judicis minimè idonea eſt. Facultates hìc ſatis vigent, ac larga dein experientia varia, per quæ tranſitur, itinera monſtravit; hìc tanquam in ſpeculo quivis incertam negotiorum

gotiorum conditionem intuetur, eventúſque rerum humanarum conſiliorúmque dubios. Hîc, quoniam conflictus cùm utilium tùm cupiditatum ſemper in conſpectu ſunt, viciſſitudines junioribus minimè expectatæ non valde commovent; utpote quibus optima frequenter conſilia immutantur. Unde oppoſitorum ſubinde ac planè repugnantium ſententiarum morúmque conciliatio, ac in unum aliquem ſcopum directio, idipſum ferè eſt, quod hæc ætas ultro proſpicere optat.

*Atque increſcit.* Increſcit dein hæc facultas, prout aucta atque ampliata fuit priore vitæ ſtadio, & pro copioſâ experimentorum varietate, eâque in difficilibus majoríſque momenti rebus, & ubi ſcenæ perſonis gravioribus impletæ cauſas dederint, quare ad nobiliora opera adhibeatur. Liquet ſanè fruſtrà eum fore, qui meſſem vel vindemiam uberiorem hoc vitæ autumno ſperaret, quàm pro ſementis modo; imò nec ab hâc omnino diverſam aut genere aut utilitate ac præſtantiâ.

*Morbi ejuſdem.* Obſervatum fuit antea, quo ritu imaginatio per omnia judicem imitatur, eámque

que malè habentem præſertim hujuſce affectare munera, atque inde vanæ imaginationis intemperiem minimè cum hâc facultate, modò integra ſit, convenire. At verò ejuſdem peculiares morbi amentia ſunt ubi pravè, atque ex adverſo inſipientia ubi vix omnino judicatur. Quorum quidem priorem ſæpe vehementia conſequuntur ſymptomata, qualia dictis factíſve notantur; in altero verò diſcrimen inter homines ac bruta animantia è medio ſublatum videtur.

Ut judex conſummatus naturæ preſſiùs veſtigijs inſiſtere, & ab ordine ejus ſtabilito non abhorrere, verùm dignitatem ſuam juxta eundem conſervare ſolet; ſic etiam à moribus immutandis cavere, qui ad naturam tam propè accedunt, ut ab eâdem non niſi ægrè ſeparari queant. Ubicunque igitur hæc facultas integra manet, conſtans & perpetua cernitur voluntas ſingulos rerum ordines diſtinctos conſervandi, prout conſuetudine ſignati ſunt, qualis legibus naturæ conſona eſt, neque à communi judicum oculatiſſimorum ſenſu aliena. E contrario autem ſi quis repentè longiùs ab hujuſmodi conſuetis moribus non datâ *Signa eorundem.*

causâ abſcedit, metuendum quidem ne mentis alienatio conſequatur; quoniam nil præter ſolitum eſt, quòd levis iſtiuſmodi affectus ſenſim evadat periculoſiſſimus. Atque ita ſæpe evenit, ut, priuſquam familiares inſuetum hunc ſenſum notârint, morémque abnormem, quem mens hunc in modum induere ſibi cœpit, iſthic creſcat, & in habitum deteriorem confirmetur; qui & nonnunquam radices in inſaniam uſque agit. Quapropter medicus ad ſenſum communem veluti normam reſpicit, à quo ſi quem videat parum deflectere, niſi præjudicijs abductum, aut perturbationis repentè obortæ vi ſimilíve aliâ ratione permotum, huic non immeritò à mentis alienatione jam tum cavendum cenſebit. Eo enim temporis articulo auxilia perquirenda ſunt, quoniam, modò id negligatur, exinde prolixa malorum ſeries inſequitur. Altera pariter datur ſuſpicandi cauſa, ſi quis decentia omittat, maximè ubi is, qui male ſanus creditur, antea totus in illis fuerit; ſicuti etiam quum recentium nugarum quivis ſatagat, in quibus tanquam magni momenti rebus verſatur. Talia ſanè judicem jam laborare frequenter oſtendunt, eatenus ſcilicet, ut auctoritate ſuâ ſpoliari, atque ad

ad ſeſe minimè digna ac indecora deduci queat. Profectò nil longiùs ab hujuſmodi morbo abeſt, quàm ut judicis auctoritas dignitáſque integra conſervetur; ac quicquid ad contemtum ejuſdem propiùs accedit, id omne ad malè ſanum itidem habitum tendit; niſi aliquid conſilij gravioríſve cauſæ ei ſubſit.

Quoniam autem hoc morbo affecti à moribus populi recedere conſuêrunt, qui inſigniter in hoſce peccant eá de re mente capti fuerunt habiti, taliúmque ritu legibus ſoluti. Unde Solon celeberrimus Athenienſium legiſlator, amentiam prudenter ſimulans, reverentiam legum minimè violavit, dum abrogare quandam ex ipſis conaretur, quæ publicæ tunc temporis utilitati adverſabatur; atque ita patriam juvare auſus eſt, quamvis lege cautum fuiſſet, ne quis id operis aggrederetur. *Eſt autem hoc* (ait (*a*) Laërtius) *ipſius factum vel celeberrimum. Quum de Salamine, ipſius patriâ, inter Athenienſes & Megarenſes fermè uſque ad internecionem armis dimicatum* *Exemplum.*

(*a*) In vitâ Solonis.

*eſſet, multíſque cladibus acceptis, capitale apud Athenienſes eſſe cœpiſſet, ſiquis legem de vindicandâ inſulâ ferret; ſolicitus Solon ne vel tacendo parum Reipublicæ conſuleret, vel conſulendo ſibi noceret, ſubitam ſibi dementiam ſimulat, cujus prætextu non dicturus modò prohibita, ſed & facturus erat.* (*a*) *Deformis habitu more vecordium in publicum evolat, factóque concurſu hominum, quò magis conſilium diſſimulet, inſolitis ſibi verſibus, per preconem ſuadere populo cœpit quod vetabatur, omniúmque ita animos cepit, ut adverſus Megarenſes bellum extemplo decernerent, inſuláque devictis hoſtibus Athenienſium fieret.*

---

(*a*) Verba Autoris ſunt, *Οὗτος ςεφανωσάμενος εἰσέπεσεν εἰς τὴν ἀγορὰν·* quæ habitu non tantum deformem, quantum à communi ſobriorum more in forum prodeuntium abhorrentem, ſcilicet *coronâ redimitum* ſonant; Coronâ verò forſan tali, qualis Bacchantibus ſolennis, vel etiam compotoribus in uſu erat; ita ut ſimilem ebrietatis fingeret furorem. Quaſi ſcilicet lætantium potiùs quàm triſtium ſibi habitum indueret. Quod magis ſignatè quàm Plutarchus; cui *πιλίον περιθέμενος*, *Pileolo* amictus; tanquam malè duntaxat ſanus dicitur.

Verun-

Veruntamen de hiſce prolatam à vulgo ſententiam minimè comprobandum; quippe quod nimiùm conſuetudine, rectáne an prava ea ſit obſtrictum liberè philoſophari neſciat; quin & ipſos philoſophos ſapientiæ, velut inſaniæ, arguat. Quocirca quod de Hippocrate proditum eſt, eodem quidem medico non indignum videtur; qui, quum ad Democritum tanquam inſaniâ laborantem, popularibus ipſius Abderitis judicibus accerſeretur, primùm hærebat, (*a*) morbóne Democritus laboraret, an ipſius concives errore decepti eſſent. Dein poſtquam conveniſſet, ipſúmque philoſophum ſpecimina edidiſſe accuratæ ſuæ diligentiæ coràm obſervâſſet (uti refert (*b*) Athenodorús) admiratus eſt. *Non admittendum vulgi judicium.*

Ex alterâ autem parte morbi interdum eò tendunt, ut hanccine facultatem evertant, ejúſque autoritatem prorſus aboleant; *Inſipientia.*

(*a*) Εἴπερ δὴ καὶ τȣ̃το νȣ̃σος ἐςὶν, ἀλλὰ μὴ ἀπάτῃ συσκιάζεσθε. Ἐπιςολ. Ἱπποκράτȣς Ἀβδηριτῶν τῇ βȣλῇ καὶ τῷ δήμῳ.

(*b*) Apud Laërtium in vitâ Democriti.

quo pacto evenit, ut vix ulla rationis veſtigia reperiantur. Quod quidem ex imbecillitate hujuſce facultatis oritur: ubi inter homines & bruta animantia maximum diſcrimen ſitum videtur. Proinde hoc caſu, ipſis commodè exercenda adhuc reſtant organa, qualibus bruta nobiſcum communiter utuntur, qui quondam rationis etiam participes fuerunt: Adeò ut ſpeciem ſolam jam extrinſecus humanam gerant; mente verò haud quidquam homine dignum oſtendant. Atqui qualiſcunque ſit iſte caſus, eorum attentionem meretur, qui in arrogantiam atque morum inſolentiam proclives ſunt. Talibus ſiquidem natura ſpectaculum exhibet, atque inviſam iſtam rationis inopiam tanquam monimentum erigit, ubi adhuc viventi mens quaſi ſepulta jacet: Nimirum ut quanti ſit ſapere, ex viſâ inſipientiâ, homines æſtiment, & cognoſcentes quantum decoris vigens mentis bene ſanæ imperium corporis facultatibus ſuperaddit, ſe eidem ſubmittere ſtudeant.

# CAP. XIV.

## *De Ratiocinatione.*

PERCEPTIS ſingulatim rebus ac dein inter ſe collatis facultas judex aut decernit haſce à ſe invicem per omnia diſcrepare, aut aliquid deſignat ſecundum quod ſibi convenientia videntur. Illis interim prolatis ſententijs mens idipſum perſpicit, habétque veluti modulum, ad quem cæteras exigat; unde conſtat, quòuſque diverſæ ſunt, ac quàm prope ſe invicem accedunt. Quod quidem faciliùs apparet pro moduli aptitudine, quo ad hanc operam utitur, & per quem experiri queat, quàm longa latáve aut ampla hæc vel illa res eſt. *Quale ſit ratiocinari.*

At ſi nihil rebus commune habeatur, idipſum in uſum ducendum, quoties de alijs *Simplex ratiocinij genus.*

alijs affinibus congeneribúſve his aut illis rebus de quibus ſub judice jam lis eſt, diſſerere opus eſt, quòd ſcilicet nil commune intercedat. Quale ratiocinij genus ſimplex à venatoribus tributum eſt canibus ſuis, dum ex tribus vijs in conſpectum venientibus, per quas ferus tranſire potuerit, duabus nares indagatrices admoveant; ac ſi veſtigia nec hîc nec illic redolent, per tertiam, quæ ſola reliqua manet, intentatam fidenter tranſcurrere ſoleant: Quaſi ex tribus duabus demtis, tertiam ſine controverſiâ ingredi nôſſent.

*Ratiocinatio vix alia à numeratione.*

Itaque prout mens res eſſe diverſas, vel eaſdem ac alias decernit, ſic etiam rationes earum ex illis infert: Quo pacto evenit ut ratiocinia ab hoc ipſo fonte oriantur, quòd rem unam ac dein alteram ex illâ cognoſcat: Quod ſanè vix aliud videtur, quàm numerare. Unde liquet hanc facultatem à numero petere non modò vires alijs demonſtrandi, ſed & ab eodem ſatis agnito pendere, ac primariò exinde deduci. Ad quarum proinde ſingularum notitiam ſpectat cauſas advertere, ex quibus inter ſeſe diſcrepare vel eodem modo habere notum ſit; quoniam ratiocinia hiſce tanquam fundamentis

damentis innituntur, neque pluris valent, quàm cauſæ res ipſas internoſcendi exhibent. Non enim ad haſce ſpectant, quæ in rebus ſitæ ſunt, ſed quatenus ipſæ cognoſci poſſunt. Quapropter rationum ſeries irrita eſt, ubi cauſæ cognoſcendi ad omnes argumenti partes non pertingunt & comitantur: Idque quia de rebus diſceptatur, qualiter cognoſci poſſunt, non verò quatenus naturam ſenſus noſtros fugientem, cujus indicia eædem nullatenus præbent, in ſe complectuntur.

Propterea ratiocinatio bene habet, dum ſecundum judicia veráve aut etiam falſa colligit, quæ jure exinde ſequi patet. Unde ratiocinandi facultas officio ſuo ritè fungi poteſt, etiamſi judex in errores digrediatur. Enimvero inſanus ille, qui in Piræo Athenienſium portu omnia mercatorum navigia mercéſque inibi contentas ad ſeſe jure pertinere decreverat, tametſi pravè rem intelligeret, atque in errore verſaretur, id tamen ratus proculdubio non ſine causâ inferre potuit, ſibimet tantum divitiarum poſſidenti licere hiſce tanquam ſuis uti fruíque. Quòd ſi errores judiciorum in hanc itidem facultatem tranſeant, atque

*Non alia à judicijs repetitis aut ſuppuтatis.*

atque illis conſentanea inferantur, veri ſimile videtur, ſicuti priùs obſervatum eſt, non eſſe alia hujuſce facultatis atque judicis organa; verùm quod conſequitur eſſe ejuſdem facultatis exercitium, denuo vel ſæpe numero repetitum. Nempe primùm fertur ſententia, cui altera ſubjicitur; & in utrâque communis quædam menſura cernitur, quæ, dum ad duas res cognoſcendas adhibeatur, indicat priorem poſteriori quadantenus parem vel imparem eſſe. Quo pacto evenit, ut tertia iterum feratur ſententia, quæ in ſe complectitur judicium eorum, quæ cum menſurâ collata ſingulatim fuerunt. Inferre igitur nihil aliud eſt, quàm decretum condere de duobus, quatenus cum tertio tanquam modulo conferantur; qui dein ſæpe uſurpatur, prout inter homines commercia exercentes norma aliqua ad determinandum ea, de quibus hâc demtâ ambigeretur. Nec proinde opus eſt multiplicare facultates, ubicunque ex varijs affectibus aut etiam muneribus eas plures eſſe minimè patet. Atenim functio inferendi unum aliquod amplius judicium ex duobus præmiſſis non magis aliena videtur à prioribus, quàm accuratior inſpectio à ſimplici intuitu, aut ad ſummum

ſummum ab ipſo, qui ope tubi optici vel perſpicillorum curioſiùs peragitur. Uſu interim atque experientiâ creſcit ratiocinandi potentia; ac peritiam facilitatémque, uti & acumen ac celeritatem adipiſcitur; atque in aliquibus multò vegetior eſt quàm alijs, utrùm propter organa ipſa vel peculiarem quorundam naturam, quæ miram perſpicaciam ijſdem cum temperamento æquabili tribuit. Quod ipſum cùm in percipiendi tùm decernendi facultatibus apparet; quibus tamen vis imaginandi non eatenus floret.

*Quidam laboris ratiocinandi impatientes.*

Quinetiam adeò acutum percipiunt non nulli, támque impatientes ſatis longæ attentionis ſunt, ut ratiocinari cum certitudine vix liceat, aut ſaltem non niſi ea intueri, quæ primâ facie conſiderantibus ſequuntur, nec omnino quæ ſerie prolixâ ex cauſis varijs deducuntur. Hujuſmodi ferè vulgaria ſunt ingenia, quæ rebus humanis inſtanti temporis articulo utilia proſpicere conſueverunt, quibus tamen rationum momenta accuratè perpendere non licuit. Et quidem bene rebus in univerſum ſic conſulitur, ut non ſemper ad futuros è longinquo eventus reſpiciatur, niſi ab hiſce qui

qui clavo aſſident, & quorum eſt pericula omnimoda, ut vitentur, conſiderare; quum ob ſitum celſiorem non anguſtis finibus, ad inſtar inferioris ſubſellij nautarum, proſpectus circumſcribantur. Enimvero non eſt cujuſvis, modò pervideat, futuris optimè proſpicere; tanta ſunt rerum certamina, quæ nunc inſtituenda & provocanda majoris emolumenti aut futuræ ſecuritatis gratiâ; nunc omnino fugienda, propter diſcrimina, quæ in ipſis negotiorum conflictibus tractandis perito oculo nuda & aperta conſpiciuntur.

*Progreſſus ratiocinationis à numero noto ad ignotum.*

Ut autem omnis ſcientia pariter atque ſenſuum externorum perceptio, radicem figit in unâ eâdémque rerum cognitarum naturâ vel divisâ & diſtinctâ, ita omnis ratiocinatio à numero cognito primis initijs ejuſdémque genere noto vel indicato procedit, & continuo progreſſu firmatur; ac ſinguli in ratiocinijs errores exinde contingunt, quòd ad idem unicum vel eadem plura, prout diverſum numeri genus conſtituunt, ratiocinandi ordo non reſpiciat, verùm huc vel illuc deflectat integra rationum ſeries, aut catena quædam ex illis, quæ ſeriem abſolvunt. Quemadmodum cùm

cùm tertium illud cujus operâ oſtenditur, quâ ratione res duæ ad ſe invicem habent, aliquando latiùs aliquando anguſtiùs intelligatur, prout idipſum diverſum eſt fallacia in ratiocinantem incidit. Nec aliud fit quum exemplum vel aliquid ſimile proponatur, quod ſanè pro eodem non ultrà habendum, quàm ejuſdem imago eſſe cognitum fuerit.

Quo pacto fallacia ratiocinantibus eodem ferè ritu imponit, quo præſtigiatores viſus decipiendo ſolent; nam tertium illud clanculum ſubducitur, aliúdque in ejus locum tanquam idem ſubſtituitur, ut *ab ijs, quæ clara ſunt, ipſa per ſeſe* (monente (*a*) Cicerone) *quaſi præſtigijs quibuſdam & captionibus depellamur.* Animadvertere verò eſt verſutos doli artifices raro æquè fallere potuiſſe, ac quando ſocios concilient, fœdúſque paciſcantur, cujus virtute mens ſuſpicax undique obſideatur, ac communis ſensûs ſpeciem induta fraus valentiùs deludat. Ad eundem ſanè modum fallacia veri optat ſpeciem, induítque icto quaſi

*Fallacia non aliter quàm præſtigiæ.*

(*a*) Acad. IV.

fœdere

fœdere cum imaginandi facultate aut animi affectibus; ac dein eorum operâ huic mentis facultati imponit. Quod quidem nullo ferè negotio fit, ſi res ipſæ ejuſmodi ſunt, de quibus in utramque partem vulgò diſſeritur, ubi ratio nec verum nec falſum evincit. Hîc igitur curæ eſſe debet, ne nihil interſit; vel, quod eòdem recidit, ne mens ipſa antea in partes alienas diſcedat.

*Maxima certitudo ubi nullâ refert.*

Quâ de re evenit, ut ibi maximâ cum certitudine ratiocinandi facultas inferre concedatur, ubi argumentum planè exors eſt ejus quod hominum interſit. Id quod in contemplationibus accidit, ubi verum apparet ſejunctum ab utilitate. Quemadmodum in eâ diſciplinâ, quæ numerorum poteſtates contemplatur, ac dein eaſdem clarè demonſtrando ad negotia adhibet, litéſque adeò dirimere ſupra omnia cætera apud homines valet.

*Illatio generis univerſi vel ſingularis rei.*

Porrò hoc quod infertur vel in univerſum judiciorum genera regit, vel rem aliquam ſolummodo ſingularem; prius, quandocunque certò de toto rerum genere conſtiterit, longè anteferendum eſt poſteriori, quòd,

quòd, dum unicâ re continetur, ad fines ſcientiæ ulteriùs proferendos conducit. Ad hunc modum judicium deducitur in Analyſi numerali, quod ad plura extenditur, quæ ope ejuſdem præcogniti intelligi poſſunt. Adeò ut norma fiat, ſecundum quam multa reguntur, & quæ demum ipſa adhibenda eſt, dum mens ulteriùs verum falſúmve inveſtiget. Sic unicâ re cognitâ tota ars extruitur; veluti ex theoremate, quod Pythagoræ attributum eſt, norma illa Arithmeticæ, ex quâ Multiplicatio progredi ſolet, præſtituitur.

Quo quidem modo judicium prius ad alterum inferendum conducit; ac dein plura ordine ſuo ſeriatim ſequentia cognoſcendi cauſæ evadunt. Verum ſanè eſt, falſum ubique admiſſum poſſe hanc ſeriem interrumpere, ac dein de ſequentibus nil certi exinde conſtare: Nec dubitandum quin ex varijs rerum generibus, earúmque ratione multiplici, ſæpe aliquid incerti & confuſi irrepat. Neque verò id mirandum, quando negligentiæ parum aut incuriæ, in rationum ſerie catenam aliquam non ſatis advertendo, ut id operis inconfectum ſit efficere valeat. Quale profectò etiamſi in *Series illationum.*

cla-

clariſſimos caderet, non tamen ad contemtum eoſdem devocat; utpote qui plurima caſtigârunt, non tamen omnes omnino mendas perviderunt. Nempe non modò humanum eſt errare, verùm ex erroribus plures rectam invenerunt viam, quàm ex veris præcognitis. Quinetiam ex autorum celeberrimorum erroribus illud liquet, quàm non ſit judicijs fidendum: Aſt ſi judicia ad examen crebrò revocata perpetuò inter vera recenſentur à judicibus incorruptis, qui & fontes ipſos, unde depromerentur, adierunt; talia falſitatis arguere eâ ſolâ de causâ, quòd homines autores eſſent, ideóque falli juxtà cum reliquis poſſent, nil ſanè hocce fidei detrahere debet, at eoſdem peracuere, quò rectiora prodant ijſdem quæ convellenda cenſent.

*Ratiocinandi opus præſtantiſſimum.*

Clarè diſciplinas dictis ſcriptíſve tradere conſummatiſſimum eſt mentis eximiæ opus, neque eò quòd, ut jam dictum eſt, in errores proclives ſint homines, contemnendum eſt; at potiùs honor ijs debetur, quorum plura nitent, veríſque haud abſimilia ſunt. Profectò erroris genus habendum eſt, ſi aliquid proferatur, quod ad accuratiſſimas dicendi ſcribendíve normas non quadrat;

quadrat; adeò ut deficere itidem inter errores haberi queat, perinde atque falſi ſpecie decipi. Veruntamen qui cenſet accuſandos ideo mortales, qui pulcherrima quæque omnibúſque numeris abſolutiſſima vix edunt, næ ille iniquum in humana omnia judicium profert, atque indiciorum, quæ alijs poſtea fiunt, momenta haud ſatis perpendiſſe videatur. Gradatim quippe ad notitiam veri falsíque quaſi per ſcalam conſcendere ratiocinandi facultas conſuevit; & minutiſſima ſæpe ab imperitis tradita indices maximorum deprehendit. Quod quidem abunde patet ex diſciplinarum hiſtorijs; & quàm parvis primùm eliſis ſcintillis radiantia earum lumina omnium ferè oculos, longè latéque procedente tempore percellerent.

Denique quòd tantum ſeriò naturam perſcrutantibus innoteſcat, hanc ipſam attentè conſiderantibus magis incredibile videri par eſt, quàm quòd erroribus ratiocinandi facultas obnoxia ſit. Tam tenuibus enim fibris organa ejuſdem contexuntur, & tantâ ſubtilitate dotantur, quanta varijs rerum generibus congruè adaptetur, quò liquidiùs earundem ſpecies percipiat, offe- *Errores quantum licet cavendi.*

rátque ſinceras judici; ac dein tam proclive eſt hominum ingenium maximè omnium à labore mentis improbo in id, quod corpori volupe eſt; & viæ, quæ in falſum ducunt, tam undiquâque patent, facillimé que apertæ omnibus objiciuntur, ut quâ re aliqui permoti verum per ævi ſui ſpatium exquirere poſſint audeántve, niſi purâ mentis nobilitate atque invictâ ipſius fortitudine, idipſum pro miraculo meritò ducendum ſit. Enimvero illi, qui aut per prolixam annorum ſeriem hiſce ſtudijs aſſiduè incumbere dedignantur, aut clariſſima ſeculi ſui judicia cum vetuſtiſſimis conferre minimè conſuêrunt, opinione hominum forſan clariores, non ratiocinijs acutiores aut circumſpectiores, neque firmiores conſtantioréſve aut ſaniores eſſe poſſunt.

*Iidem morbi hujus atque judicis facultatis.* Sicut autem ratiocinandi facultas judici coæva eſt, ita etiam eadem patitur. Attamen ut ex numerandi potentiâ modo ſibi peculiari pendet; robur ejuſdem perinde atque imbecillitas maxime æſtimanda ſunt ex eo, quod numeros calleat, aut calculorum diſcrimina prorſus neſciat. In hunc modum debilitas cuivis notiſſima eſt, ſi quando primariam numeri diſtinctionem ni-

minimè teneat; vel ſimpliciſſimos duntaxat numeros, non verò compoſitos aut involutos jam recenſeat; veluti ſi ſummam colligere, aut eandem in partes reſolvere inferiores nequeat. Quin & in deterius ruere tunc cenſenda eſt, quum neque vim numeri in rebus ſentiat, quæ apud homines maximi valent; quales quidem ſunt nummi ejuſmodi, quibus populares uti frequentiſſimè ſolent. Hinc quippe patebit memoriam, quæ tanquam fundamentum utrique facultati ſubſternitur, valde deficere, perinde atque hanc & illam eſſe infirmiſſimam.

## Cap. XV.

## *De retroſpiciendi & recognoſcendi facultate.*

*Jus hujus facultatis in cæteras.*

PERVENTUM jam ad mentis arcémne dicam? an ſpeculam? Unde nimirum cæteras facultates luſtrat, iíſque invigilat, errores inibi commiſſos retegit, eoſdémque corrigendi, atque in ipſas animadvertendi jus poteſtatémque obtinet. Quippe iſthæc in percipiendi, imaginandi ac judicandi facultates, earúmque actiones, ſimul ac in memoriam réſque ibi retentas inquirit. Dein eo perſpecto, quo pacto ſe habent, animadverſiones ſuas, caſtigationes aut confirmationes ſingulis adhibet; & ex collatis iſtiuſmodi ſententijs nova quædam ſancit, præteritis interdum penitus repudiatis, interdum emendatis, atque ad normam ſibi propriam exactis revo-

revocatiſque. Atque hinc, tanquam ſuprema ibi ſita eſſet juriſdictio, non datur ad alium ultrà judicem provocandi licentia; at ſi recentia & nondum audita ad hunc judicem deferantur, eandem denuo cauſam cognoſcere idem poteſt, ſuámque priùs latam ſententiam convellere. Quod ut quibusvis accidit, ſic nemini magis, quàm cui anni longum rerum uſum permiſerunt, ac cui diuturna æquæ mentis ſanitas oſtendit, quàm parum fidei rerum ſpeciei præbere fas ſit; & quantum commodi ex erroribus caſtigandis, omniáque mentis ſuæ uti & aliorum operibus ad amuſſim revocandis provenire ſolet; ex quibus omnia fermè judicia, quæ in ſecula durant, ortum ducunt.

*Ex ſuſpicione oritur ejus exercitium.*

Vix autem initium capit hæc facultas autoritatem exercendi niſi datâ quâdam ſuſpicandi causâ; unde dubitare licuit, utrùm falſi aliquid ſubeſſet. Hinc naſcitur quæſtio, an rectè res habeat, vel error obrepſerit: Ac proinde ſi erratum fuerit, ulteriùs quæritur, utrùm in rebus percipiendis, an poſt eas jam perceptas commiſſus fuerit. Quoniam dum perſcrutari videtur, ſingula retroſpicienda ſunt; ad

quod peragendum ſæpe utitur non hiſce ſolis, quæ de alijs decreverit, verùm etiam quæ ratiocinijs varijs in hunc uſum collegerit, ad retegendum ubivis latitans falſum, illiúſque admittendi cauſas. Ex quibus omnibus ſimul adhibitis rem ſaltem totam recognoſcit; ac tandem vel facultatibus, munijs ipſarum ritè peractis, utpote ad talia idoneis fidem habet, vel de hâc aut illâ adhuc ambigendum cenſet.

*Tardè maturescit creſcitque inquirendo in facultates ſibi ſubjectas.*

Itaque hæc facultas non niſi tardè creſcit, ac ſerò ad maturitatem pervenit; quippe quæ magis atque magis cauta eſſe ex diutino varióque rerum uſu ediſcit. Hinc enim quàm obnoxia ipſa ſit errori frequenter notavit, &, qualiter ſingulæ ſibi ſubditæ facultates habent, accuratè reſcivit: Scilicet an hæc nimis celeriter, tardiúſve quàm par eſt capiat; an facie tenus ac deſultoriè oculis mentis percurrat; an etiam, quando nil præter ſpeciem inania contineant, in ipſis aliquid amplius ſpectando operam perdat: Utrùm imagines rerum pravè effingantur, adeò ut umbra ſæpe pro imagine ad vivum delineatâ obtrudatur; quî fit ut imperfectum aliquid

pro

pro opere abſoluto habeatur; aut, quod alius cujuſvis ſimulacrum eſt, pro alio diſſimili menti objiciatur: Num itidem imaginatio res, prout in naturâ exiſtunt, exprimat, an pervolitando ex varijs peculiares deſumat colores, atque ex iiſdem monſtra, quorum partes malè cohærent, compingat. Quomodo deinde ipſa decernendi facultas afficiatur; ſpéſne vel metus magis votis & conſilijs ejuſdem dominari conſuêrit: An pectus attollatur fallaci proſperorum gaudio; aut felicis eventûs deſperationi cedat. Unde haud ſatis promtè vera, quæ adſunt, amplectitur; veráve, quæ futura ſunt, ſibi promittere audet: Unde etiam iniquus ſibi judex hæc facultas videtur, ſtudio quovis, cui dedita eſt, corrupta.

Porrò de ratiociniijs quærit, an obſervatis à ſe malè quadrent; atque ſi id fiat, an imaginandi pleraque ſint opera, potiùs quàm ex rebus ipſis oblatis oriunda. Quippe pari modo alios forſan deceptos recognovit. Quo dein fit, ut per talia incerta aut doloſa ſecurior hoc tempore incedat? Num hoc ipſum fiduciæ ſuæ, ac temeritati debeatur? An ſibi plus nôſſe conceſſum *Etiam in ratiocinia.*

 fuerit,

ſuerit, propter quaſdam peculiares, quîs fruitur, dotes, ad quas exerendas felices plurimùm occaſiones contulerint? Nempe cuncta ejuſmodi aſſiduè ſecum mente revolvit, qui fidelis ſibimet omnino eſſe velit, quíque quàm curta vel larga ſit ſibi ſupellex, reputare conſtituit, atque hanc facultatem excolere, adaugere ac ad ſummum evehere optat. Enimverò tantum eſt hujuſce facultatis momentum, ut quam maximè contra iſthæc, quæ blanditijs ineſcare, aut dolis irretire queant, munienda ſit, ut liber animus ſincerè ſententiam proferat imperturbatus, ac clarè res coràm apertas intuens in ratiocinijs rectâ pergat viâ.

*Aſſimilatur ætheri.* Idcirco non ineptè hi, qui hominem mundo aſſimilârunt, hanc facultatem ætheri comparârunt; ubi extra craſſum vaporibúſque inſpiſſatum aërem, regionem nebularum nubium atque exhalationum, ventorúmque ſimul ac meteororum imperium, cœli facies perenni effulgens luce, perpetuóque aperta & ſerena conſpicitur.

Cujus

Cujus quidem facultatis nobiliſſima dos eſt prænoſcere, qualia ex naturis rerum oritura ſunt; eáque, antequam contigerint, præſagire. Quod ipſum in Promethei fabulâ antiquiſſimi Græcorum ſapientes docuêre; qui Minervæ operâ in cœlum ſublatus, igne domo æthereâ ſubducto luteum ſuum hominem animavit; ac proinde inſidias formidans munus pyxidis, morbis malíſque alijs repletæ, rejecit: Qualis dein Epimetheo tradita eſt, qui ingenio conſilio ac præviſione carente præditus erat; quíque fatali aperto vaſculo in ſimium transformatus pœnâ ipſius patefecit, quantum ſingularis animi prudentia ab æmulâ illâ vi ingenij abeſſe ſolet; quantum nimirum humana ab ejuſdem imitatrice bruti illius natura. Nil ergo miri, ſi ſapientes hanc præcognoſcendi facultatem colere aggreſſi fuerint; qui ſanè mentem futurorum ſcientiâ, nec ſolùm præſentium præteritorúmve ditare audebant. Atque uti in alijs diſciplinis ſe plurimum poſſe nonnulli experti fuerunt, ita in ipſis quæ ad humanam ſpectarent naturam, aſſiduam adhibebant vigilantiam, ut medicina, quam adornabant, præſentiendi virtute incla-

*Prænotio huc ſpectat.*

inclareſceret. Inter quos ſenex ille Cous eminebat, *quum* (ut (*a*) ait Celſus) *recentiores quoque medici, quamvis in curationibus mutârint, tamen hæc [inſtantis valetudinis ſigna] illum optimè præſagiſſe fateantur.*

*Et quâ ratione.* Interea quamobrem hujus præſagiendi facultatis incunabula intra retroſpiciendi pomœria ſita eſſe indicantur, atque ad ipſam pariter pertinere, ex Scythæ illius hiſtoriâ diſcere eſt, qui, quando vulgus ſecum ſolis radios, quum primum oboriretur, diſcernere ex more apud eos obtinente conaretur, ideóque orientem proſpectarent, in oppoſita montium juga oculos ſuos flectebat; eorúmque altiſſima, priuſquam circumſtantes ſolare corpus videre poſſent, radios ipſius illuſtrantes reſpexit. Pari nempe ratione ea mentis noſtræ ſors videtur, ut ſæpe numero præſentia commodiùs ac certiùs in ſpeculo præteritorum videat; at futura ſemper non niſi inibi delineata intueatur. Quale certè ſpeculum experientiâ poliri, atque in uſus varios adaptari queat. Quod tamen ut ad amuſ-

(*a*) In libri ſecundi præfatione.

ſim

ſim reſpondeat, (quid enim in allegoriâ progredi vetat?) tumentia omnia in facie ipſius ſpeculi prorſus exæquanda; & quæcunque vitrum in bullas inflant, aut aliquatenus ab æquabili planitie deflectunt, ea profectò impediunt, quò minùs futurorum perinde atque inſtantium fida exemplaria prodantur. Quò quidem ſpectat monumentorum hiſtoriæ ſuavis utilitas; quorum laudes ore omnium celebrantur, quicunque in vitæ curriculo aut feliciter impetum illuſtris naturæ regere cupiunt, aut quidnam ex ſuis alieniſque rebus geſtis commodi vel incommodi futurum ſit, præſcire optant.

*Ex ejuſdem ſanitate colligitur ſanitas totius mentis.*

Nimirum ea præclaræ ac bene ſanæ mentis conditio eſt; ex quâ totius integritatem cognoſcere atque æſtimare licet. Siquidem quanto feliciori æquioríque acumine animadvertendi opus peragitur, aut quanto longiùs à recto abeſt, tanto accuratiori omnium facultatum ſanitate atque præſtantiâ mens beatur. Ubicunque enim hæc facultas munere ſuo fungitur, cæteræ inferiores, quantum in ſe ſitum eſt, oſtendunt: Hæc quippe non niſi earundem virtute inclareſcit; iiſque deficientibus & ipſa

ſa jacet. Hunc in modum gradus ſubtilitatis atque celeritatis percipiendi in animadverſionibus notantur; ſicuti & quàm fida falláxve ſit memoria; quàm vividè delicatè & ad amuſſim opera ſua effingit delineátque imaginatio, aut quàm inſigniter deerrat; quantum judex valet; ac denique quàm perſpicua vel incerta ac fallacia ſunt ratiocinia.

*Hic ſita eſt conſcientia.* Ex hujuſce autem facultatis exercitio oritur recti pravíque conſcientia; ac proinde ſi poſterius ſibi conſcit, hoc ipſi dolet. Qui quidem dolor remedium petit, reverſionémque ad integritatem; ideóque ſecundum naturæ ordinem dolor pœnitentiæ præcedit reſipiſcentiam. Exitus itaque pravi conſcientiæ conſilij mutatio eſt: Unde hanc tanquam cynoſuram homines meritò reſpiciunt. Quapropter hæc facultas, quatenus ad facienda ſpectat, eadémque dirigere apta nata eſt, nomine Intellectûs Practici appellata eſt. Idipſum interim à Græcis denotatur duobus iſtis nominibus, quorum unum dolorem (*a*) pœnitentiæ ex pravi conſcientiâ, alterum verò mentis (*b*)

(*a*) Μεταμέλεια. (*b*) Μετάνοια.

con-

conſiliíque mutationem inſequentem exprimit.

Hinc igitur medicus indicia colligit fida, mentem malè ſanam ad integritatem reverſuram, dum hujus facultatis vim atque auctoritatem renaſcentem videt. Ex quo frequenter affluxus lacrymarum ſaltem paroxyſmi, ſi non ipſius morbi, ſolutionem promittit, ac ſanioris futuræ mentis ſæpe prænuntius eſt. Reſcire quippe incipit mens, ſe à celsâ iſtâ & imperturbatâ regione in inferiorem merſam fuiſſe, non verò talem, qualis dignitati ſuæ conveniat. *Indicat bonum.*

Ut à ſuſpicione hæc facultas primò ad munus obeundum excitatur; ſic etiam pro genere vel gradu ejuſdem fortiùs aut ſegniùs irritatur. Duplex autem ſuſpicionis genus eſt, pro vario fonte, ex quo effluit, nempe admiratione, vel metu; utrumque itidem gradu diverſum eſt, prout ſibi objectum melius vel pejus prævidetur. Propterea quum ſuſpicio non omnino expergefaciat, nulla dein animadverſio; verùm omnia judicijs veríſne aut rectis; an falſis aut pravis reguntur. Hinc erroribus judicis mi- *Morbi.*

minimè caſtigatis, malus ejuſmodi habitus hanc facultatem adoriri ſolet, quo ex deſuetudine profectò alia quævis laborare conſuevit: Qui dein habitus nullo juvante obfirmatur. Ex alterâ verò parte ſuſpicandi quædam licentia obſidet; unde ſuſpicaces eouſque homines evadant, ut inter ſymptomata inſaniam ad hanc facultatem pertinentem præcurrentia jure ipſamet recenſeatur. Inter utrumque autem affectum interjacet legitima illa ſuſpicandi libertas, quæ menti bene ſanæ competit; quæ exinde judicis peccata frequenter ſibi conſcit, eadémque ad veri rectíque normam componere ac emendare legibus ſtudet. En ſanitatis pomœria! En loca extra hanc poſita latè patentia, qualia præfinire non eſt, per quæ morbi ſpatiantur! Quòuſque igitur illa extenduntur, antequam ad morborum fines perventum fuerit? Ut hoc quæſito ſatisfiat, tales medico notas ſervare æquum eſt; ut, ſi quis de conditione ſuâ aliena omnia comminiſcitur, hominum verò communia negligit deſpicítve; & ſi hæc commenta mores illius regunt, qui dehinc ſorte ſuâ minimè contentus vivit, at ſupra ſe longè ſita intuetur expetítque; is ſanè appetitus in mor-

morbidum ut plurimùm rectà habitum ducit, ac tandem in inſaniam, niſi frænis hujuſce facultatis aliquando coërceatur, deſinit. Quò pertinet Æſopi fabula verbis Phædrianis tradita;

*In prato quodam Rana conſpexit bovem,*
*Et tacta invidiâ tantæ magnitudinis*
*Rugoſam inflavit pellem: tum natos ſuos*
*Interrogavit, an bove eſſet latior?*
*Illi negârunt. Rurſus intendit cutem*
*Majore niſu, & ſimili quæſivit modo*
*Quis major eſſet? Illi dixerunt, Bovem.*
*Noviſſimè indignata, dum vult validiùs*
*Inflare ſeſe, rupto jacuit corpore.*

Hîc quippe autor exemplo ranæ, quæ ubique perſonam vulgarem inopémve ſuſtinet, hoc vitij ejúſque non inſolitum fontem, invidiam ſcilicet longè potentioris, aperit. Judices ſunt nati, qui, quod viderunt, matri nudè adulationis neſcij retulerunt. Ubi tres indicantur termini, vel illi, quos natura non coacta præſtituit, aut quando vis, quam ferre eadem poteſt, inferatur, vel hi ultra

ultra quos ipſamet ferendo impar eſt; Nempe intra naturæ non coactæ fines viventi nil inſaniæ metuendum; dum nullæ excurſiones in fines, citra quos natura ſubſtitit, periculo vacant. Quapropter nec ſine ſuſpicione gravibus de cauſis obortâ feliciter ſtadio vitæ decurritur; neque nimis huic genio indulgendum, quoties nulla detur ſuſpicandi cauſa. Quoniam interim cauſæ ſuſpicandi difficulter internoſcuntur, graveſne an leves ſint, ex earum proinde notitiâ diſcrimina inter homines abunde ortum ducunt. Nempe aliæ ſapientibus, aliæ vulgo graves cauſæ ſunt; unde profectò illi hoc ſecernuntur: Illi quidem in ſua intus peccata animadvertunt, & aſſiduè judicia corrigunt, atque altiora certioráve in dies pro pulcrioribus naturæ ſuæ dotibus expetunt; hoc verò religatum ad conſuetos patriæ mores inibi, velut arbores ſolo ſuo, defixum hæret. Nec aliter pauci ſaniores à turbâ, quæ ſanitate aliquatenus donatur, ſecerni ſolent, quàm eo quòd nulla huic animadverſio extra morem contingat, dum ipſis de judicijs ſuis vel alienis plerumque diſceptatur, ac mos tanquam errorum vel parens patronúſve habetur. Aliæ profectò, quod ad momentum

tum attinet, ſunt, æternúmque erunt eruditis cauſæ, aliæ vulgo; ac propterea, quos hoc ipſum admiratur maximíque facit, ijdem ab illis minimè eâ de re ſaniores habebuntur. Ac proinde medici eſt utrumque dijudicare, ne dum è populo quoſdam ſapientiores à vulgi moribus abhorrentes videt, eoſdem malè ſanis annumeret; aut dum ſapientibus conſulit, eos dementes habeat, qui populi moribus judicia ſua minimè omnium regunt.

Sicut hæc facultas pro inferiorum integritate particeps & ipſa ſanitatis eſt, quæcunque eaſdem juvant, ipſimet pariter proſunt; modò iſthoc perpetuò intelligatur, ut ordo naturæ inter eas accuratè ſervetur; ex quo harmonia earundem iſtâ ratione conſiſtit, ut dum ſingulæ ſanæ ſunt, univerſæ animadverſionibus hujuſce facultatis ſubjiciantur. Remedia verò fortiſſima deſumuntur à duris adverſíſque rebus, magis quàm proſperis; atque à parientibus dolorem potiùs quàm voluptatem: Quippe quæ notas inurunt haud facilè obſcurandas aut oblivione delendas; atque men- *Auxilia.*

tem, quæ earum reditum præſentit, ſuſpicione invigilantem tuentur. Ut verbo dicam; Quæcunque faciunt, ut mens corpori imperet, atque ut hoc alacriter eidem obſequium præſtet, huic facultati malè habenti remedia tanquam præſentiſſima comparantur.

CAP.

## Cap. XVI.

### *De mentis comprehenſione ac captu.*

PRO organorum mentis vigore vel infirmitate, ac pro eorundem tono à naturâ cuique ſorte dato, comprehenſio ejuſdem vel ampliatur, vel coanguſtatur. Idipſum verò eſt, quod captus nominari ſolet: Qui igitur in alio amplior, in alio contractior virtute ipſius fabricæ videtur, citra rationes vim mentis promovendi, ejuſdémque facultates excolendi. Ac præterea fabrica illa ex cujuſque temperamento aut acuta aut hebes reddi poteſt: Unde comprehenſio ceu celerior & agilior, ſive tardior ac remiſſior evadit. Dein accedunt inſtitutio, doctrina, rerúmque uſus; ex quibus, ſi ritè adhibeantur, ad extremas, quas natura fert, comprehenſionis metas undiquâque perveniatur. *Diverſitas comprehenſionis.*

*Clarior in pueris.* Proinde hiſce conſtituitur diſcrimen illud inter ſingulos, quod cuique advertenti ſermones factáque illorum abunde patet; at clariùs per annos pueriles manifeſtatur, antequam vela ſibi injicere ſolertia monuerit, & dum naturæ opera jaceant aperta, rémque ætas incauta ac nondum callida palàm faciat. Quippe tunc temporis puer alius alium captu ſuperare tam evidenter quàm robore corporeo obſervatur: Adeò ut quales pueri, tales quoad comprehenſionem viri cernantur; præterquam quòd hæc ipſa creſcat, ac maturitate magis pro ſuo cujuſque modulo vigeat; haud ſecus ac ſtaturæ corporíſque exteriori figuræ contingit. Enimvero prout diverſa admodùm ea eſt, ſi ſpectes magnitudinem, verùm quoad naturam ſimillima perpetuò manet, quantumvis à pueritiâ tenuis & coarctatus primis initijs externorum ordo lineamentorum ad virilem ætatem dilatetur, imò & deinde æqualis poſtea ad ſe invicem eorundem habitus & textura in ſenectutem uſque ſervari ſoleat; ad eundem etiam modum organa mentis interiora ſe habere vix dubitandi locus datur. Ac ſicut hominis cujuſvis ſtatura rarò ultra notos evehitur terminos;

minos; mens etiam communes raró metas excedere obſervatur. Et propterea captus hominum vulgaris mediæ ad inſtar ſtaturæ aſſurgit; & ſunt, qui infra ſupráque hanc altitudinem vel deprimuntur vel elevantur.

Interim comprehenſio eorum, qui ad ſummum evehuntur inter homines faſtigium, non eò uſque pertingit, niſi omnium aſſiduâ facultatum mentis exercitatione, ac non niſi educatione accuratâ primùm fruatur, poſteáque laboribus perpetuis firmetur atque adaugeatur, & optimorum frequenter ingeniorum luctâ verſetur, iiſque quaſi cotibus peracuta reddatur. Enimvero plures primam docti itineris viam rectè ineunt; at infortunijs ſi non opprimuntur, tamen divexantur, atque eorum vires in certaminibus ſæpe cum rudibus atque pervicacibus æmulorum ingenijs diſſipant, perdúntque ſubinde grandes melioris naturæ dotes; uti & patria ipſorum luminaria amittit, longè latéque radios ejaculantia. Quinetiam ſi Herculeæ eòuſque ſuppetant dotes, ut ſuperſtites fiant poſt haſce cum robuſtâ atque imperitâ aut hebete ſibíque longum infeſtâ juventute luctas; rei mox anguſtæ *Qui excolitur.*

domi repagula obſiſtunt, & repetiti fortunæ adverſæ ictus dejiciunt, aut blanditiæ hujus nimiùm ſecundæ frangunt corrumpúntve, cursúmque eruditum inhibent. Verùm ſi ex hiſce mentis vegeta ac fortis comprehenſio eluctetur, dein eorum repugnantia, quorum falſa aut ſaltem dubia pro certis haberi interſit, ſæpe progreſſui adverſatur. Quippe ita res habet, ut, licèt plures fateantur ſe verum ſincere amplecti velle, factis tamen ijdem frequenter negent. Inde potentum ſæpe numero obſtitit auctoritas, qui aliena pro veris jamjam amplexi immutare opiniones ſuas noluerunt; at quaſi falſum cum hæreditate conjungeretur, ita ſe ad ſimplices veri ſcrutatores habuerunt, tanquam hi novitatem introducere auderent, quandocunque, quæ ſibi conſtitêre, indicarent.

*Culturæ difficultas.* Itaque non niſi pauciſſimi comprehenſionem ſuam, quatenus extendi queat, nôrunt; quoniam tentamina ſubinde fruſtrà fiunt, ac conatus irriti ideo, quia non licet eſſe tam acutis aut perſpicacibus, nec, quantum mens ſua capiat, prodere omnino tutum eſt; niſi ejuſmodi temporibus, quorum rara felicitas fuit propter principum

indolem

indolem verè generoſam, qualia Tacitus ſua eſſe ſub Trajani auſpicijs docet. Hæ interim facultates, quæ res modo tam amplo comprehendunt, plurimorum captum eòuſque ſolent excedere, ut vix ullos nedum rectos judices nactæ vulgarium hominum invidiæ obnoxiæ relinquantur, qui dolum opponunt ijs omnibus, quicunque à partibus ſuis ſtare non videntur. Ex quibus omnibus non rarò evenit, ut comprehenſio, quantumvis fines eximiè prolati fuerint, niſi ſolertiâ æquè inſigni ſemet tueatur, tanquam inutilis habeatur deſpectui, ac ſæpe tanquam non innoxia damnetur; unde qui eâdem dotatur, hanc celare eâ de re cogatur.

Hiſce autem præmiſſis veluti cauſis, quare comprehenſionem hominum variam dignoſcere in ſingulis vix licet, & quâ ratione iſthæc ad inſtar agri toti communis plebi minimè cultum exquiſitum admittit; progrediendum ad ipſa fundamina, quibus innititur, ut exinde eruatur, qualis reipsâ experimentis adinveniatur. Complectitur ſanè hæc facultas cæteras omnes mentis facultates earúmque dotes, videtúrque illarum veluti ſitus, &, quòuſque ſe porrigunt, *Qualis ſit comprehenſio.*

gunt, terminos ſtatuere. Prout igitur omnis notitia, præter eam quæ ad ipſas mentis facultates ſpectat, de rebus ſingulis eidem objectis provenire conſuevit, comprehenſionem humanam vix ultra hoſce limites extendi credibile eſt. Neque ſanè ex libris operibúſve eorum, qui clarè rem expoſuerunt, neque ex dictis factiſve omnimodis aliquid ultrà videre, niſi adulationem pro veritate admittamus, contigit. Fuêre profectò celeberrimi præteritorum ſeculorum viri, uti & noſtri, qui plura prodiderunt cognitionis non vulgaris exempla, ratiociniiſque ſcripta ſua præclaris ditârunt. Sed ſi hoſce taceamus, qui intelligi noluerunt, quibus igitur fides minimè exigenda eſt, vix quidquam protulêre, quod intra cancellos non continetur, quales facultatum prædictarum operibus atque exercitijs præſtituuntur.

*Fundamentum certitudinis.* Verùm quoniam Pyrrhonij alijs philoſophis fidem detraxerunt, ínque omnes eorum opiniones atque fundamenta inſpexerunt, hoc operis ab illis confectum eſt; atque ex ipſis diſcere eſt, quare eorum ſententias repudiare ſtuduerunt. Illud ſiquidem ex Sexto Empirico patet, qui ſectæ iſtius

iſtius placita tradidit. Atque ijſdem, quæ ipſe objicit, perſpectis, id demum manet veri falsíve indicium; nempe quod ſani, qui res attentè ſincero conſilio advertunt atque clarè comprehendunt, illud verum aut falſum meritò haberi poſſe. Quòd ſi res ejuſmodi non tantam compleant ſummam, quantam aliqui volunt, iſthuc forſan cauſis aſſignatis imputandum, non menti quaſi ad comprehendendum ineptæ, aut pluribus impari, quorum cognitio ulterioris ſcientiæ cauſa eſſe poteſt. Nuſquam enim, ultra quod hæ cauſæ in ſe complectuntur, adhibita fides fallere ſolet. Neque certè cum ratione ſanis objiciendus eſt mentis non bene ſanæ conceptus; neque opponenda huic qui aliquid clarè comprehendat, uſitata ejuſmodi, proclivitas ſcilicet in errorem & vulgi opinio eruditis contradicens; nec multò pluris apud hunc valet vel audax veri cujuſvis negatio, vel contrarij aſſeveratio, talem nimirum rem nemini hominum poſſe cognoſci, quia modum ipſe neſcit. Hoc enim viæ ignaris accidere ſolet, qui tamen ob oculos poſita ſatis perſpiciunt; & contradicendi ſtudijs reſpondere nil opus eſt. Id autem conſtat, neminem clarè rem unquam comprehendiſſe,

diſſe, niſi cauſas cognoſcendi perpetuò comites ſecum affert; neque ſi eaſdem in viâ deſeruerit; nec ſi, pluſquam ipſæ effecerunt, ſine indicibus alijs aſſeruerit.

*Comprehenſio intra certos limites reſtricta.* Cæterùm quum de comprehenſione diſſeratur, non ea intelligenda eſt, quæ omnes rei rationes habituſve ad alias complectitur, imò neque ipſius naturam integram, quâ à cunctis reverâ alijs diſtinguatur; ſed ſæpe quatenus noſtrâ refert. Quemadmodum aurum ab argento internoſcimus, nec tamen omnibus, quæ de ijſdem metallis quæri poſſunt, reſpondere poſſumus. Abunde ſufficit quòd tot ac tanta de ijs clarè liquent, etiamſi plura exquirenda reſtent. Quod ſanè animadvertere ex uſu videbatur, quoniam fuêre, qui ſi non omnia ſcire valent, ideo prorſus nil certi videre volunt. Utrumque videlicet ratione caret, aut omne aut nihil mentem poſſe comprehendere. Sed & de ſanitate cujuſvis quærendum, qui clarè aliquid comprehendit, quod, quo pacto in mentem venit, haud ipſe novit, neque alijs per ulla indicia manifeſtare poteſt.

Hîc

Hîc autem loci advertere liceat, errores in unam facultatem adeò ab aliâ prolabi, ut attentionem mereatur illius, qui verum à falſo internoſcere velit, qualis ad hanc vel illam pertinet. Sicut qui ex rebus ſingulis totum earundem genus agnoſcit, quod ab ijs mens abſtraxit. At genus iſthuc ſæpe opus imaginandi facultatis eſt, quæ pro tali tradit judici, eò quòd res hiſce ſimiles in memoriâ recondantur, ideóque ſub eodem genere ipſa complecti valeat. Siquidem ab exemplaribus ejuſmodi ſingulorum quaſi in unum collectis & cognatis oritur generum notitia, quæ unà comprehendere in poſterum mens aſſueſcit; ac deinde in univerſum de ijſdem diſſerit; ſicut unum aliquid in partes ſeparatum videt, atque exinde rationes earundem ſingularum ad illud totum notat. Enimvero harum unam & alteram ſejungit, & reſiduum diſcernit; atque iterum quot velit, conjungit; unde ſummam earum ſupputare eſt. *Comprehenſio errorum.*

Quoniam igitur in hiſce ſimplicibus, quale eſt numerus, deſignandis mens verſari facillimè ſolet; ideo hujus virtute plura *Modus comprehendendi.*

ra alia ad eandem comprehendere formam aggreditur, qualia ſcilicet ſunt puncta, lineæ, ac ſuperficies, quæ in unum conflata (quod ſolidum nominatur) vel à ſe invicem ſeparata ſecum pro re natá perpendit. Hiſce ſubjicit motum atque ejuſdem rationes, adinvenítque quì temporum momenta ſecundùm motum annumeret. His dein adjicit ſonorum per tonos diſtributorum numerationem, ac temporis ad eos ſpectantis, rationéſque eorum conferendi ac variè concinnandi modos comprehendit, qui auribus eruditis placeant. Simili modo innumera etiam alia percurrit: Nam dum hiſce inſpiciendis oblectatur, res ipſas vario modo connexas intuetur, ac diverſis ſæpe modis ſibi invicem oppoſitas; quaſdam eòuſque ut alia tollant, vel aliquatenus repugnent, adeò ut ſimul adeſſe nequeant; aliquas porrò, tametſi non eatenus repugnantes, quin ex iiſdem commiſtis tertium quoddam emicet. Hinc advertit principium ſeu fontem decernendi eſſe ſingula diſtribuere eâ ratione, quâ maximè adverſâ fronte pugnent; videlicet ut numero quovis ab alio ſubtracto, reſiduus tantâ ſummâ non compareat. Sic tribus à quatuor ſubductis partibus, reſidua eadem

ac

ac priùs eſſe nequit. Inde primum illud fundamentum judicijs ſubſternitur futuris; ad quam quaſi normam cætera judicis decreta exigi poſſunt. Maneat igitur fixum, nihil poſſe idem ſimul eſſe & priorem numerum & poſteriorem. Quippe hi duo contradicunt ſibi invicem, ſcilicet unam partem reſiduam eſſe æqualem ſummam ei, quæ conficitur ex ipsâ ac cæteris tribus adjectis. At ſi cæteris tribus una reddatur, iterum quæ fuit antè apparet ſumma. Hinc numeros in genera partitur mens, prout variè addendo vel ſubducendo indicantur.

*A principijs quâ ratione cavendum.*

Nimirum gradatim mens puerilis hæc comprehendit, quæ prout ad vigorem matureſcit, uſu longo, tanquam naturæ ipſius judicia eſſent, adeò confirmantur, ut planè neſciat horum cognitionem eſſe habitum acquiſitum, ſed ex naturâ ſuâ provenientem agnoſcat. Et, ſi non ultra illa ſimplicia progrediatur, non magnâ refert, utrùm hæ cognoſcendi normæ inſitæ credantur, vel ex naturâ ſponte ortæ: Sed quando ad alia porrò tranſducantur, & rerum naturis implicentur, ac homines à vero rerum ſenſu in errores ſeducti fuerint; dein ſanè conſideranda

ſideranda horum in genere pronunciatorum origo; ne mentis naturæ iſtud falſi imputetur, quod ab amplexu eorundem inconſiderato ſolum deducitur: Cùm nempe hæc appellantur fundamenta cognoſcendi res ipſas extra mentem, de quibus non certò conſtat eaſdem ita ſe habere, ut ad has normas exigi poſſint. Imò id verum exquirenti ante omnia ſtatuendum, ne aliquid normæ vim apud ſe obtinere permittat, cujus aptitudinem non penitus examinavit. Legem aliter iniquam ſibi ferre forſan poteſt; cujus auctoritate liber animus quaſi æterno ſervitio defigatur; ac catenis ipſe vinctum ſemet non videat, quas cæteri acutùm cernentes omnino perſpiciunt.

*Conſenſus facultatum verum comprobat.* Quærendum igitur quæ ſit baſis, in quâ verum collocari tutò poteſt: Ea nempe videtur facultatum ſanæ mentis convenientia; quo pacto fit, ut res ipſæ, prout ſe habent, intelligantur. Siquidem conſpiratio quædam atque conſenſus earundem adeſſe debet, quîcum rerum ſingularum naturæ congruant. Neque ſanè cuivis ſoli fides habenda eſt; unde accidit ut philoſophi veteres inter ſe diſſentirent. Nimirum

rum ſolis ſenſibus externis Epicurus fidem habendam eſſe docuit; unde plura ſequi abſona abunde & clarè demonſtratum fuit. Atqui ſine his verum nequit conſiſtere: Ideo verò ſenſus minimè rejiciendi; aſt ab alijs facultatibus cauſæ eorundem diſſensûs exquirendæ; ac ſi veræ appareant, non eſt cur aliquid dubij exinde oriatur. Sicuti quum res pro longo ſpatij intervallo minores quàm proximè adjacentes conſpiciantur: Cujus rei cauſa ſatis nota eſt. Itaque hoc modo res percipi debent pro variâ earum diſtantiâ. Harum igitur imaginatrix depingit figuras majores, ut oculis diſtantibus minores, prout ſcilicet par eſt, videantur: Quibus memoria conſentit, quæ earum reverâ majorum meminit, quando propè adeſſent, & pro diſtantiâ minores repræſentari. Hanc rem cognitam ita habere judex decernit; quam quidem ratiocinandi facultas ex cauſis deduxit. Quibus demum animadverſis & comprehenſis fidem mens adhibet.

Sicuti autem ſenſibus externis, ita etiam imaginationi accidit, ut neque eidem circa propria ſibi objecta credendum ſit; niſi dum huic cum reliquis convenit. Fingitne igitur

*Conſenſus etiam in ijs circa quæ imaginatio verſatur.*

igitur iſthæc imagines? Hæ dein probandæ, imò & nonnunquam caſtigandæ, ſi inter ſanæ mentis opera numerare oporteat. Quæ quidem niſi judici ſubjiciantur, atque animadverſioni recognitioníque, vana velut ægri frequenter ſomnia ſunt: Aſt cæteris conſentientibus, operámque unà adhibentibus, ecce ſuaviter ſimiles depinguntur, judicibus ocellis, atteſtante itidem memoriâ harum exemplaria tenente; & quales etiam ſuperioribus mentis facultatibus arrident. En verò formæ pulchritudiníque natalitia! Cujus ſanè vim quum Socrates perſpexiſſet, nunquam à bono abeſſe voluit; & vocabulum illud celeberrimum ex pulchritudine (*a*) conflatum cum honeſto conjunctâ laudavit. Eſt profectò imaginationis vim formæ & ſentire & probare; ſed ſi nullis aſtricta fuerit legibus, ſanitas non diu conſtabit, neque ab ejuſdem judicio alij pendebunt. Hoc enim eſt delirare, ſensûsque officium violare, qui imaginationi tributus eſt; quò nimirum feliciùs ſuo quiſque ingenio fruens, voluptate pariter ſuâ trahatur. Quin nec fauſtum eſſet

(*a*) Καλοκαγαθία.

formæ

formæ ejuſdem vim eòuſque omnes ſentire, ut unam æquè depereant. Unde à naturâ omine non infauſto varias depingit formas imaginatio, luſúſque ejus diverſimodi proſunt oblectántque. Interea quamvis operum pulcrorum diverſitas conſpiciatur, quantâ bene ſanæ imaginationi liberè feriari licet, in illis tamen dirigendis ratio numeris moduliſque ſuis utitur; ſin minùs neque ipſa ſibi conſtabit, nec alijs placere poterit. Adeò ut etiamſi ad rerum ſolummodo ſimulacra imaginatio ſpectet, rectitudinem tamen certam veluti normam operum ſuorum intueri, verúmque tanquam ultimum ſibi ſcopum proponere oportet. Idipſum autem ſuperiorum facultatum conſenſum quodammodo indicat.

Judicia igitur fide digna ſunt compluria, quæ ex rerum notitiâ decerpta ſunt; quatenus alia alijs tribuuntur, vel à ſe invicem ſecernuntur. Qualia cùm certa eſſe conſtiterit, in uſum reponuntur tanquam normæ, ad quas alia non imparia in poſterum exigi poſſunt. Hiſce interim ſententijs ab alijs prolatis ſi quis, eorum cauſis minimè cognitis, aſſenſum præbet, næ ille ijſdem credit, qui haſce ediderunt, nec ſibi per- *Qualia ſunt præjudicia.*

ſpectas res eatenus novit. Hinc quoniam ſæpenumero falſa tradita fuerunt, quibus tamen veluti fundamentis alij inania decepti extruxerunt, hæc ipſa præjudicia vocitantur. Quippe hæc, ab alijs non nobis ipſis cognita, pro normis veri & falſi traduntur; quales quidem philoſophandi libertatem intra injuſtè præſcriptos fines cohibent; adeò ut ſi pravè conceptæ fuerint, mentis errores neceſſariò ſequantur.

*Præjudiciorum vis.* Hiſce quidem præjudicijs ſi cui mens diu ídque à teneris annis laboravit, eidem profectò generoſam oportet eſſe indolem, qui tandem examen de ipſis juſtum inſtituere, ac libertatem cogitandi eò uſque ſibi aſſerere poterit. Tam cæcus quippe iſtorum amor eſſe ſolet, ut licèt ſolùm adoptata fuerit hæc ſoboles, non minùs tamen quàm germana ſæpe placeat; imò nonnunquam menti affixa adeò hæreat, ut difficiliùs ab hâc, quàm ab aliâ quâpiam illuſione retrahatur. Unde ſanè liquet, indicem eſſe largæ comprehenſionis, uti & ſanioris facultatum omnium habitudinis, ex præjudicijs emergere; atque idipſum longè nobiliores requirit dotes, quàm verum quantumvis

tumvis obſcurum & occluſum in lucem edere potuiſſe.

Nec proinde contemnenda ſunt ejuſmodi axiomata, ſi cauſæ eadem cognoſcendi apertæ fuerint; verùm haſce omnino tenere æquum eſt, non modò propterea quòd aliquid falſi ſubeſſe poſſit, verùm itidem, ut, quòuſque & ad qualia rerum genera pertineant, comprehendatur. Etenim ſi quis pro normâ axioma aliquod amplecti velit, eandem certè adhibere neſciet, niſi, cujuſmodi ſint quæ ſub eâ cadant, probè nôrit. Et quidem nonnullos videre eſt, qui axiomata ad res cognoſcendas extenderunt, quæ non ſunt ejuſdem generis, atque ipſæ de quibus dicuntur. Neque enim ſpecies, quæ menti adſunt, quas imaginandi vis crebrò fingit, quáſque dein judex amplectitur, perpetuò res ipſas, quales ſunt, exprimunt: Ubi, ſi non erratur, ſaltem fides temere non adhibenda eſt. Exemplo ſit ſpatij corpore carentis ſpecies, de quo à philoſophis quibuſdam recentioribus tales habitos fuiſſe ſermones accepimus. Arbitror equidem, inquit alter, ſpatium non longè à corporis naturâ abeſſe, quoniam corporis mathematici præfinitioni idipſum *Axiomatum uſus.*

quadrat; nempe trina eidem dimenſio tributa eſt. Quin tu ad nihilum à numine redacta corpora concipias, quæ inter hujuſce aulæ parietes nullatenus amovendos interjacent; tum verò, quid tibi videtur? Nónne hi duo tantùm diſtarent? Minimè quidem, reſpondit prior, quoniam ea tangunt, inter quæ nihil intereſt. Novi ſanè, ſubjicit poſterior, ſpatium non eſſe nihil, quoniam modi ejuſdem ſunt, ſcilicet longum latúmque & profundum exiſtit. Nimirum fluctuant hi ſermones; eò quòd hic pendet ab uno, ille ab altero axiomate. Uterque ſpatium exiſtere extra mentem novit; quorum alter vix à corpore ſeparat, alter rem eſſe naturalem fatetur. Trina ſanè dimenſio rebus omnibus, quæ viſibus innoteſcunt, competit; unde imaginatio effinxit forſan ſpeciem eam cujuſdam rei, nomine ſpatij, in naturâ extra ipſas res exiſtentem. Dein id ita habere axiomate confirmant; Nihilo quippe nulla ſunt attributa. Quod nec alienum à ratione eſt, quatenus ea quæ à mente finguntur, aut à rebus ſeorſim concipiuntur, exiſtere intelligantur. Quo quidem modo exiſtunt punctum mathematicum, lineáque ſuperficies & ipſum corpus. Adeò ut corpus

pus mathematicum ſit illud ipſum ſpatium, de quo diſceptatum eſt, quod dicitur comprehendere longitudinem in ſe ac latitudinem; quatenus ipſæ ad menſurationem ſpectant. Itaque è quorum medio totum hoc ſpatij, quod interfuerat, tollitur, ea jam contigua futura ſunt. Nec profectò Reales nominati apud Scholaſticos multùm diverſa de Unione diſſeruerunt; quam rem eſſe quandam voluerunt, juxta quam duo in unum coaluerunt; ſicuti ſpatium denotat interſtitium, ſecundum quod corpora diſtant. Qualibus quidem commentis rectè intelligendis is conſiderandi modus convenit, qui ſpeciei atque axiomati hujuſmodi fidem eatenus ſolùm adhibet, quatenus ad rerum naturas concipiendas referri poſſint; non tamen ex ſpecie ſimili conceptâ aliquid præter res ipſas, quibus inhæret, extra mentem exiſtere ſeparatum nôrit; uti nec genera rerum extra res ſingulas; neque eadem omnia, quæ ex fabricâ organorum mentis, eorundémque varijs ſentiendi modis deduci conſuêrunt.

Hìc tamen obſervandum, quòd imaginandi facultas ad claram veri notitiam plurimùm conducat; quoniam iſthæc ad vivum *Uſus imaginationis ad comprehendendum.*

vivum depingens, nec à re ipsâ abhorrentem exhibens ſpeciem, quæ conſentanea cæteris facultatibus apparet, opem ad fortiter cogitandum ſubminiſtrat. Itaque, ut priori exemplo utar, quum corpora locum teneant quendam neceſſe ſit, atque vacua etiam corporibus dari ſpatia veriſimile; ſi hæc ſpatia adeò interjacentia concipiantur, ut tamen corpora contigua ſint, ac ut filum ſeu concatenatio corporum nullibi in totum interrumpatur, tametſi vacuum ubique interſperſum fuerit; tum ſanè ex corporum juxtà ſitorum dimenſis facilè iſta ſpatia animo metiri licet. Imò & iſta prior ſpecies, quum concipiatur, facilè intelligenda eſt veluti ratio, quæ corpori inibi correſpondebat, antequam in nihilum eſſe redactum mens ſibi effingebat; quam quidem rationem adhuc memoria tenet. Et ſi univerſum hoc mundi contemplari fas ſit, ad imaginem tabulæ orbis terrarum conſiderare haud abſonum videtur; in quâ lacus mariáque pro variorum ſpatiorum interſtitijs deſignantur; & quo ritu oceanus ſpeculatori in extremo, quem alluit, ſcopulo vaſtus proſpicitur, eodem ſanè illud ſpatiorum extra mundum, ſi qua ſunt, immen-

immenſum atque interminatum æquor concipi poteſt.

Memoria interim ſi ibi depoſita non teneat, aut non exactè ſingula cuſtodiat, conatus omnes circa vera cognoſcenda irritos reddere poterit. Ac dein niſi eadem ſimul complectendi ſuperſit facultas, vera ſæpe dignoſci nequeunt, quæ ille, qui amplitudine ipſius beatur, captu facillima experietur. *Ac memoriæ.*

Proinde morbi, quibus mens in univerſum laborat, captum peculiariter afficiunt; quando ſcilicet vigor ipſius eò uſque flacceſcit, ut quæ priùs facilia conceptu atque intellectu expertus fuerat, jam ſeu difficilia ſive minimè omnium comprehendenda ſentiat. Nimirum mens ex hiſce affectibus ſe habet, ut ex Tabe corpus; & omnibus ferè facultatibus aliquantum ſenſim decedit, dum forma totius quantumvis imminuta, & quidem quaſi umbra, per omnia tamen ſimilis diu permanere ſolet; illiúſque reliquiæ, qualis iſthæc olim fuit, uſque condocefaciunt. *Affectus.*

*Remedia.* Propterea ſi cogitandi deſuetudine ægrum infirmitas invaſerit, ad exercitia mentis idonea confugiendum; ac hiſce æmulatio conjungenda. Quæcunque enim animum irritant, fortémque organis tonum conciliant, remedia ſunt, quæ juvare conſuêrunt. Interea verò morbi tales à corpore nimis ſaginato nonnunquam pendent; utpote originem ſuam ex vi mentis ſuppreſsâ dotibus corporeis fatentes; quibus interdum accedunt grave ſolum, necnon diæta, quæ ſanguinem humoribus viſcidis ferè reſtagnantem onerat. Contraria dein auxilia evadunt; ídque jugiter cavendum, ne divinæ hæc auræ particula, quo nomine Horatius mentem dignatur, vitio quovis corporis humo affigatur.

CAP.

## Cap. XVII.

### *De Sagacitate.*

DUÆ jam reſtant à nobis præcipuè tractandæ mentis dotes, utpote quæ ad Medicinam apprimè utiles repertæ fuerunt, & ſine quibus ars nec ſatis intelligi, neque in uſus, qui eandem facientibus opus ſunt, duci poteſt. Hæ quidem Sagacitas atque Solertia nominari ſolent. Quare de priore hîc loci, deinde de poſteriore agendum. *Dotes ad medicinam ſpectantes.*

Utraque autem dos oritur ex facultatibus, quarum mentio facta eſt, & peculiaribus ſibi frequenter Gratijs ornatur. Ex utrâque verò à naturâ priùs conſociatâ indoles ea conſtat, quæ ad medicinam excolendam *Quæ coaleſcunt in medicinæ indolem accommodam.*

colendam adaptatur. Quòd ſi huic accedit educatio, quæ eidem conveniat, & quæ non in exiguum anguſtúmque concludat, ſed pandat atque in extremum ampliet, jam tum Æſculapius alter vel Hippocrates exurgit, vel quivis alius inter egregios eorum ſucceſſores, qui tam celebri nomine inclareſcit. Cujus ſanè ſagacitas morbos ad uſque cauſas inveſtigat, dum ſolertia dictat, regítque eos tam felici imperio, ut arma medica manus Deorum rectè appellentur; qualia per inſcitiam perperam adhibita malorum ſæpe ſcaturigines fiunt, atque urbes gentéſque populantur. Quod quidem à veteribus duplici nominê Phœbi atque Apollinis proditum eſt; ubi prius luminaris ſplendorem, ſcientiámque; poſterius verò ardorem radiorum vaſtatricem denotat. Nempe hæc duo in autore medicinæ indiviſa reperiuntur; verùm ardor lucis expers ſeorſum ſumtus peſtiferum denunciat; ſicut eidem conjunctus beneficum declarat. Idque ipſum pleniùs indicatur, quando Muſas ejuſdem Dei filias nominent, matrémque earum Mnemoſynen; quò clariùs cognatam eſſe peculiarem Medicinæ atque alijs diſciplinis indolem oſtenderent.

derent. Et hæc quidem ab illâ adeò ex ſententiâ veterum indiviſa eſt, ut, ſiquem ſapientiâ præclarum produnt, ipſius itidem peritiam rei medicæ minimè taceant. Quod ſanè & in ipſo Socrate deſignant, quamvis primus à naturæ ad morum ſtudia diſcipulos ſuos abduceret; utpote qui monita & conſilia de ſanitate corporis & mentis tuendâ frequenter apud Xenophontem laudat. Profectò nec ſine diſciplinarum fructibus medicus ſatis dotatus ad præſtantiora in arte ſuâ dignoſcenda ſe accingere, nec famam auctoritatémque ſibi aut conciliare aut tueri poteſt. Imperiti verò & ignavi eſt, quicquid ad naturam ſpectat negligere. Imò & mores ſtudiáque hominum omnimoda ad medicinam ditandam conducunt; profeſſionémque hanc longè ampliorem atque utiliorem reddunt.

Si judicandi & ratiocinandi facultates ad ſummum evehuntur, felicéſque evadunt, adeò ut verum indagare, quod plures fugit, liceat; ſagacitatis nomine dos iſthæc appellatur. Hæc quippe vox dicitur propriè referri ad acutam illam, quæ in canibus notatur, ſentiendi vim atque odoratu *Qualis dos ſagacitas.*

ratu

ratu prehendendi; quibus (*a*) *incredibilis ad inveſtigandum ſagacitas narium:* Quaſi ſcilicet illa indagandi apud nonnullos facultas nomen à venatione mutuò acciperet. Et quidem vox ſic intellecta opus ipſum in imagine comprehendit; quoniam in hunc planè modum mens ſagax per

(*a*) Cicer. Tuſcul. 3. Qui etiam rationem docet primo de Divin. *Sagire enim ſentire acutè eſt; ex quo ſagæ anus, quia multa ſcire volunt, & ſagaces dicti canes.* Deducunt alij à σαγὶς, quod verriculum ſonat, & retis quoddam genus eſt; cui conjecturæ favet parallela illa analogia, juxta quam indago nominatur ſeries plagarum ad venationem ſpectantium, quâ feræ clauduntur, & veri indagatio ſagacis eſt. Nec ſanè omittenda eſt alia illa notatio, quæ à Sagis deducit, Scythiæ Aſiaticæ incolis pro domibus nemora & ſpeluncas habentibus; quales igitur rei venaticæ ſe dedêre. Ubi advertendum hoc nomen Scythis omnibus Perſas tribuere, idque forſan per opprobrium ipſis non inuſitatum: Perſicum quippe canis nomen *ſag* fuiſſe traditur. Hujus autem regionis incolæ hodierni ſunt Tartari, ad quos tanquam occupantes victoriæ ſecuros atque incautos hiſtoriola vulgatiſſima de Tartaro capiendo ſpectat, quod jamjam in diverbium abijt.

plures

plures rerum claſſes ordinéſque & rationum prolixas variáſque ſeries verum frequenter indagat; imò nec ſubtiliſſimos earum nexus negligit, quibus altiùs ad ſuprema genera perveniat; atque ita integram varijs orbibus nodíſque & commiſſuris interſtinctam catenam demum perſpectam habeat. Eóque magis conſummata eſt hæc facultas, quo celeriùs faciliúſque è longinquo ſitas res perveſtiget; & quæ longiſſimè inter ſe diſſidere viſæ ſunt, contrarióque prorſus modo habere, haſce tamen ultimùm confluere, & in unum aliquod commune conceptaculum deſinere exploret. Planè quaſi ſagacibus contingat, quale fluviorum decurſus ſpeculantibus; quos in unum ferè omnes oceanum per quaſcunque licèt ambages undas ſuas exonerare obſervant; utrùm ijdem ex montium editis defluant, an etiam ex diverſiſſimis ubivis terrarum fontibus ſcaturiant, atque ab oppoſitis mundi cardinibus alvei eorum amnes ducant.

Quinimo neque ſtatim animum ſtudioſi & ſagaces venatores deſpondent, etiamſi conamina inveſtigandi ſæpe irrita fiant; verùm omnia circùm explorant, cunctíſque nota- *Quâ ratione ſagacitas in opere verſatur.*

notatis, quæ fefellerunt, itineribus, menſes annóſque ſedulò perſcrutantur, uſque dum ad extremum aliquem docti laboris terminum pervaſerint, qui ulteriùs progredi vetat: Pari ſcilicet modo, quo feras venantes notiſſima earum latibula ſingulatim perquirunt; &, ſi hîc aut illic nulla videant veſtigia, nulla canibus redoleant, in alia tamen digrediuntur, ac per tractum regionis circùm ſitæ undiquâque divagantur, donec in cubile recens incidentes perpetuò inſequuntur, ac finem tandem aut capiendo faciunt, aut interdum amittendo quandocunque extra limites peregre aufugerint, aut illuc ſe receperint, ubi non licet venandi inſtrumenta tranſportare, imò ubi nonnunquam nec ipſis canibus canúmve magiſtris adire fas eſt.

*Unde materiam operum adipiſcitur.*

Ad eundem ſanè modum ſagax plures experitur vias, & quò plures novit, eò plus valet non modò ad inſequendum, verùm & citiùs certiúſque hunc illúmve finem attingendum. Itaque Ciceroni (*a*) *homo*

---

(*a*) De Leg. III.

*animal*

*animal providum, ſagax, multiplex* (*a*) dicitur. Ex rerum quippe naturâ ingeniiſque animantium, plantarum ac locorum variorum pendet ſagacitas in diſquiſitionibus. Et primò quidem ſigna ex rerum naturâ ſatis cognita perſpicit, quæ ad negotia ſibi tractanda conducunt. Hoc quidem ſatis in Agriculturâ liquet; ubi, qui ſuccedere volet, ſpectat ad anni tempeſtates, loci ingenium, cæteráque ad agrorum fertilitatem pertinentia. Nam ex (*b*) Columellæ ſententiâ *qui ſe in hac ſcientiâ perfectum volet profiteri, ſit oportet rerum naturæ ſagaciſſimus.* Neque aliter ſanè Medicina progreditur, quum tempora & ſigna tradat, ex quibus morbi ipſius ingenium, uti & illius exitus ſanandíque methodus cognoſci queant.

Verùm quoniam ſigna eadem ſæpenumero varias res indicant, in hiſce itidem dignoſcendis ſagacitas verſatur; ut qualia *Signa quotuplicia ſunt.*

(*a*) 1 Paralipom. 2, 47. Inter poſteros Chalebi invenitur Σαγαὲ, id eſt *Comprehendens* ſive *Attingens*; quod nomen apud Syros denotat *Multus* vel *Multiplicans.*

(*b*) Lib. 1. c. 1.

propria

propria ſint, qualia etiam communia, patefaciat. Nempe alia ſunt, quæ ſola rem declarant, alia quæ non niſi conjuncta manifeſtam faciunt; alia præterea, quæ, quoniam naturâ oppoſita ſunt, nunc non poſſe adeſſe nec in poſterum fore oſtendunt. Ac ſecundum hoſce modos multiplex indiciorum natura eſt; quam ſi quis non clarè intelligit, omnis ejuſdem ſagacitas non longè à facultate conjecturali abeſt. Hîc igitur pedem figit ſagax, ubi ſigna peculiaria ſunt, quæ indices fiunt rerum abditarum, utrùm eædem jamjam præteritæ, qúæve præſentes, aut certò expectandæ ſint. Nec ſanè dubitandum, quin is ſit præſtitutus & præcognoſcendus plerumque rerum ordo, ut ei, qui ad harum naturas perpetuò attendit, ſigna excogitare liceat, quæ rem latentem, æquè ac ſi aperta fiat, demonſtrent; quod ipſum interim univerſum alijs non niſi ex conjecturâ provenire videatur.

*Ex conjecturis innoteſcunt veri indices.*

Itaque conjecturâ ſemper aliquid incerti habet, quum mens ad verum tanquam ſcopum collimet; ubi deerrare perinde atque eundem attingere licet. At verò ex repetitis ejuſmodi conjectando erroribus, ſagax

ſagax ad verum propiùs accedit, notáſque deprehendit, unde idipſum tandem cognoſcendum ſit. Et tantum valet hujuſmodi mentis frequens exercitatio, ut ex leviſſimis notis rem ipſam expiſcetur; quale quidem hiſce, quorum mens minimè ſagacitate dotata rationum momenta ſeriò perpendere aſſuevit, vix contingit. Proinde uſu atque experientiâ diſcunt, qui multiplicia tractare negotia ſolent, minuta quædam obſervando, unde totum pendet eadem abſolvendi artificium; quæ quidem tam ipſis perſpecta ſunt, quàm majora illa, quæ inexercitatorum attentionem occupant, qualiáque advertendo rem acu tangere nequaquam poſſunt. Enimverò ex ſagacium illiuſmodi obſervationibus uſque ad peritiam repetitis atque unà congeſtis, ortæ primùm fuêre diſciplinæ, quæ & ipſis excoluntur. Haſce interim qui poſteris feliciter tradiderunt, promtius atque expeditius ad veri falsíque notitiam iter ipſis monſtrârunt: Ab unâ nempe re cognatâ ad aliam manuducunt, & totum hinc genus cognoſcendum oſtendunt, generáque alia quæ ad hoc ipſum referuntur, & quæ analogiam quandam præ ſe ferunt, ex eodem inveſtigare præcipiunt. Illi autem

inter cæteros eminent, quicunque ad errores, qui ſibi ludos facerent, digitum intenderunt, ne incauti iterum otio ſuo abuterentur, ac eâdem prorſus ratione operam perderent. Quocirca omnimodis cumulandi ſunt laudibus, qui cauſas apertè declarârunt, unde ſibi & verum cognoviſſe, erroréſque in quos inciderant detexiſſe, contigerit, & qualia quidem animum inani ſpe paſcerent, ſéque indagantes falsâ opinione lactarent. Siquidem ex errorum fontibus probè exploratis, modíſque, quibus mens abduci atque abalienari ſolet, ſatis perſpectis, & initijs, ubi primùm à recto in obliquos tramites deflectit, bene intellectis, verum oculis clariùs demonſtratur, contrariiſque ſibi coloribus juxtà ſitis non modò illuſtratur, ſed & integrum conſervari poteſt. Nil enim tam fidè verum cuſtodit, & undiquâque tuetur, quàm varias falſi facies nôſſe; ac quæ ſunt curvorum iſtius itinerum primordia; quàm prope lucidos veri fontes hæc inſident, & quàm procul poſtea à rivis perſpicuis, inde decurrentibus in confuſam obſcuritatem, ſenſim licèt relabuntur.

Enim-

Enimverò ut plurimum malis vitandis nata eſt ſagacitas, potiùs quàm fruendis bonis, atque ita ad verum feliciùs appropinquare falſum fugiendo conſuevit, quàm ad illud rectà tendere, ídque ipſum veluti ſuâ coruſcans luce promtè amplecti. Ubi igitur via utrinque quaſi ſpinis munitur, ibi ſagacitas mira præſtare ſolita eſt; utpote quæ hiſce excitata atque irrequieta exquirendi operæ ſe totam dedat; at in rebus verſata, quæ, ſi falſæ ſunt, non tamen urunt, tranquillè nec anxiè ſe habet; atque utrùm verum falſúmne ſit, quo mens fruitur, vix curæ eſt; ideóque nec operæ pretium illius veſtigia ſubtiliter notare ducit. *Ubi ſagacitas plus valet.*

Sagacitati autem nulla magis debetur ars, quàm Medicina; quæ integra fermè ab ipſà pendet, uti principiò eàdem nata erat. Siquidem res chirurgica & pharmaceutica potiùs ſenſuum exteriorum ope innixæ, dexteritate ſive operandi, ſeu medicamina componendi felices evaſerunt. Atqui hæc quantumvis ad artem medicam probè noſcendam pertineat, non tamen ibi hærere medicum oportet. Quinetiam, dum *Sagacitati debetur medicina.*

per talia tranſit ſubinde advertere eſt, quomodo arma medicinæ geruntur, ac parantur: At quis eorundem uſus naturæ dictatis reſpondet, atque auxilium eidem ferre ſolet; & qualis tegit, qualíſque nocet; illud ſanè medico dignum opus eſt.

*Quòuſque extenditur ſagacitas medica.* Interea medica ſagacitas anguſtis terminis non finitur; verùm per triplex iſtud regnum vulgò nominatum ubivis terrarum Animale ſcilicet Vegetabile ac Minerale à naturâ recondita explorat: Ac dum varia naturæ opera ab artificibus in uſus hominum adaptantur, advertit ſagacitas eorum affectus, diſcítque obiter quid nocet, quídve prodeſt: Idque non modò ut ipſorum malis mederi, ſed & exinde indicia mutuari queat, quæ univerſi generis humani commodis vertat. In hunc ferè modum ſagaci medico ubicunque verſatur, indicia occurrunt; aliquíſque huic in malis perinde ac bonis uſus eſſe ſolet. Præſentia quippe ſignando cum præteritis confert, inde per veſtigia ad futura pergit; eadémque iterum veſtigia requirit, quoties idem rerum habitus eadémque conditio apparent. Verùm quoniam omnes medicinæ partes, præclara omnium medicorum opera totidem exem-

exempla ac veſtigia ſagacitatis relinquunt, ideóque labores pluſquam Herculeos exantlare foret eorundem ſingulatim meminiſſe; non niſi illud nominare hìc videtur, quod per totum vitæ curriculum naturæ ſenſim procedentis greſſus perſequitur. Ea profectò Hippocrati laus debetur, qui primùm conjuges, quales ad maritalem torum accedere par ſit, intuetur; quali dein operâ liberis beandi ſunt; qualitérque ſponſæ ſe habere debent, ut ſobolem omnibus numeris abſolutam per debita naturæ tempora conſervent, & perductam ad maturitatem in lucem edant: Quid poſthac infantia & ſequens omnis ſeriatim ætas paſſura eſt; quæ bona maláve ijs ſingulis peculiaria ſunt; indéque qualia aut alenda vel tollenda; qualia in præſens omittenda, & quo tempore curanda; quali etiam fonte bona maláve oriunda ætates perfluunt in ſenectutem, aut quâ in ætate finiuntur. Profectò quæ huc ſpectant, cuncta ſagacis mentis opera ſunt; ſine quibus Medicina adhuc maneret indotata & parvi quidem æſtimanda.

Atqui non deſuerunt, qui hæc Medicinæ eſſe fundamenta non agnoverunt, verùm *Fundamenta medicinæ.*

rùm in aliena omnia excurrerunt; quorum deinceps poſteri ad priùs jacta non illæſi redierunt. Siquidem quæcunque ipſi excogitârunt priſcis meliora habuerunt, donec res ipſæ ulteriorem progreſſum vetarent. Non quòd adinvenire alia nováque ſit prohibendum, neque labores quoſvis doctos contemnendum; ſed quòd ipſis adhærendum, quæ natura indicavit, curandúmque ut ipſi perpetuò medendi ars reſpondeat. Ea enim augendi facultates medicas ratio eſt, quæ à vetuſtiſſimis uſque ad noſtra tempora certa fuiſſe conſtiterint, hiſce recentia aſtruere à naturæ ipſius penu inveſtigata. Qualis proinde Medicina ſibi per omnia ſeu vetera ſeu nova conſtabit; & ſolidis illiuſmodi innitetur principijs, quæ ut per ſecula plura jamjam durârunt, firma & inconcuſſa in poſterum manebunt, quantumvis recentibus inventis exornentur atque amplientur. Pluribus interim ingenijs à ſcopo frequenter aberrandi occaſionem quædam opiniones obtulerunt; de quibus inter ſeſe plurimùm veteres medici diſceptârunt, quales à Celſo breviter recenſitæ ſunt; & de quibus nonnulla ad præſens argumentum ſpectantia deſumere liceat.

Primò

Primò igitur, *ejus* [medicinæ] *quæ victu morbos curat, longè clariſſimi autores etiam altiùs quædam agitare conati, rerum quoque naturæ ſibi cognitionem vendicaverunt, tanquam ſine eâ trunca & debilis medicina eſſet. Poſt quos Serapion, primus omnium, nihil hanc rationalem diſciplinam pertinere ad medicinam profeſſus, in uſu & experimentis eam poſuit.* Quaſi ſcilicet rerum naturæ cognitio non ſuperaddi poſſit eidem, quæ ab uſu & experimentis derivatur. Quod, licèt tam clarè pateat, à priſcis iſtis uſque ad noſtra tempora quæſitum fuit. Quis autem eſt iſte uſus? an automati cujuſdam curſum ſponte ſua conficientis, an mentis ſagacitate ſuâ ſingula notantis, atque iterum dignoſcentis notas ejuſmodi, non quidem ab ijſdem prorſus diſſimilibus, ubi rariùs errare datur, ſed ipſis quas noverat aliquatenus ſimilibus? Quonam autem pacto experimenta ſine ratione aliquantum valere poſſunt? aut, an ſimiles ſint caſus, ſine accuratis rationum habitis momentis cognoſci poſſit? Et ſanè, ſi quod res eſt fateri oportet, nihil facilius experimentali notitiâ videtur, nihil rarius quàm experimentis potiri quæ curioſiori menti

*De Rationali diſciplinâ atque experimentis.*

ſatisfacere poſſunt. Quod & Hippocrati placuit, qui experimentum (*a*) fallax aut inſtabile atque in lubrico ſitum eſſe monet.

*Quâ ratione Empirici hoc argumenti tractâ-runt.*

Diſpiciendum autem, qualibus dictis Empirici hanc profeſſionem tutati fuerunt; ubi primò advertendum, quòd (*b*) *evidentes quidem cauſas, ut neceſſarias, amplectuntur; obſcurarum verò cauſarum & naturalium actionum quæſtionem ideo ſupervacuam eſſe contendunt, quoniam incomprehenſibilis natura ſit.* Quale ſanè, modò verum eſſet, omnes philoſophos vanitatis inſimulare potuit, quicunque per experimenta itidem

---

(*a*) Ἡ πεῖρα σφαλερή. Oppoſitè ad artem, quæ longa eſt. Ideo Latinè dicitur Periculum, quia rarum eſt tentamentum ſine periculo. Hæc vox etiam citò præteriens denotat, quo nomine ad priora connectitur, ſcilicet καιρὸς ὀξὺς, occaſio acuta. Quare in Ajace Sophocleo ad Ulyſſem dictum eſt, Πεῖραν τιν' ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον, Ipſum periculum quoddam hoſtium corripiendo facere tanquam venatorem. Πεῖρα uſurpatur propriè pro tentamine in ludis ſacris, ac dein σφαλερὴ idoneè adjicitur propter proclivitatem ibi in lapſum, potiùs quàm victoriam.

(*b*) Celſ. in Præfatione.

ipſa

ipſa cauſas ſibi nondum notas veſtigant. Atqui hoc eorum dictis malè conſentaneum videtur, quippe qui aiunt, *cùm illa incerta incomprehenſibiliſque ſit, à certis potiùs & exploratis petendum eſſe præſidium; id eſt, his quæ experientia in ipſis curationibus docuerit, ſicut in cæteris omnibus artibus. Nam ne agricolam quidem, aut gubernatorem diſputatione, ſed uſu fieri.* Nempe Agricultura, ut & gubernandi ars quantum debent naturam rerum contemplantibus, ijs patet, qui quòuſque hæ duæ artes apud Britannos excultæ fuerunt, ex quo philoſophi haſce res aggreſſi ſunt, curioſiùs obſervârunt. Rurſus aiunt, *Ne inter initia quidem ab iſtis quæſtionibus deductam eſſe Medicinam, ſed ab experimentis.* Id verò, tametſi non planè conſtet, negare nihil opus eſt: Quoniam licèt ex hiſce initijs olim ſagaces cognitionem ſuam deducerent, artémque rationi congruam diſcerent traderéntque; non tamen ad initia ſemper recurrendum, nec medicinam veluti nondum adultam, ſed in cunis uſque jacentem contuendum. Nec aliter ſensêre, qui Medicinæ præcepta priùs addidicerunt, ac dein uſu confirmârunt; ij quippe vident, quantum Hippocrates rei Medicæ intellexit, maximè ſi quàm lentè

omnis

omnis ex experimentis ſolis notitia progredi ſolet, ſatis comprobatum ſit.

*Sophiſmata Empiricorum.* Quod ſequitur verò apud Autorem ſophiſtas planè ſapit; *Requirere, ratio idem doceat, quod experientia, an aliud. Si idem, ſupervacuam eſſe; ſi aliud, etiam contrariam.* Utrumque enim laborat; ſiquidem utiliſſimum eſt nôſſe experientiam rationi conſentire, ut ratio ipſa recta eſſe liqueat; ac ſi aliud, ut eadem corrigatur. Atqui dum hæc adverſus rationem ſophiſmata excogitant, cauſam ipſam produnt. Intereſſe enim eorum idipſum videtur, ut ratio è medio tollatur, útque obſcura atque confuſa artis ſuæ opera maneant. Quapropter ſcripta ferè eorundem interiêre, ijs exceptis quæ alij autores laudaverunt. Mentis quippe tam anguſtæ cogitata rarò æternitatem merentur aut ſortiuntur.

*Quî Empirici opinionem tuebantur.* At verò, quod aiunt Empirici, *primò remedia exploranda ſummâ curâ fuiſſe, nunc verò illa explorata eſſe; neque ulla aut nova genera morborum reperiri, aut novam deſiderari medicinam:* Illud interpretatione eget, quare eadem mox ſequitur; *Quòd ſi jam incidat mali genus aliquod ignotum, non ideo tamen*

*tamen fore medico de rebus cogitandum obſcuris; ſed eum protinus viſurum, cui morbo id proximum ſit, tentaturúmque remedia ſimilia illis, quæ vicino malo ſæpe ſuccurrerint; & per ejus ſimilitudinem opem reperturum. Neque enim ſe dicere conſilio medicum non egere, & irrationabile animal hanc artem poſſe præſtare; ſed has latentium rerum conjecturas ad rem non pertinere, quia non interſit, quid morbum faciat, ſed quid tollat.*

Quoniam hiſce objectis cæteríſque ſimilibus Celſus reſpondit, quæ apud eundem requiri poſſunt, plura huc transferendo nil opus eſt; verùm hiſtoriolam hîc tradere vulgatiſſimam quidem, at qualis ad propoſitum ſpectat, non alienum videtur. Empiricus ſeculo ſuperiore nobilis uſu Kinkinæ evaſerat; qui Lutetiam à Rege Carolo miſſus medendi ergô febri intermittenti quâ Delphinus laborabat, atque à Medicis Pariſienſibus interrogatus, quidnam eſſet Febris, reſpondiſſe fertur, ignorantiam tegens, Febrim eſſe morbum, quem ipſe ſanare potuit, illi verò minimè. Quo audito non ſine plauſu qui aderant, *Macte*, inquiebant, *Definitio perbella eſt.* Cujus profectò reſponſum oſtendit novam jam *Exemplum.*

tum

tum medicinam deſiderari, ídque ad febrim tollendam; ad qualem ſanè curandam Empirici illi veteres plurima velut utiliſſima laudârunt, nihilo tamen plus quàm Rationales efficere valuerunt: Adeò ut Quartana febris tandem opprobrium medicorum nominaretur. Quanquam & illud pateat, nec arti nec profeſſoribus jure hoc ipſum exprobrari potuiſſe; donec natura quatenus ipſis explorata inſtrumentum, quo opus erat, minimè ſuffecerat. *Quorum enim inſtrumentorum, ſive naturæ, ſive artium facultatem obtinemus* (ait (*a*) Hippocrates) *per ea ſanè opifices eſſe poſſumus; per alia verò minimè licet.* Quemadmodum hoc remedij ab Americâ inauditâ olim orbis parte in Europam advectum eſt. At verò, quum jam uſus illius Corticis ſatis cognitus fuerit, liquet non omnem ejuſmodi febrim tollere, ſed etiamnum opus eſſe diſcernendo latentes morbi ejuſdem cauſas, priuſquam ægris adminiſtrari ſalutare hoc medicamentum cum fructu queat. Si enim

(*a*) Ὧν γάρ ἐςιν ἡμῖν, τοῖσί τε τῶν τεχνέων ὀργάνοις ἐπικρατέειν, τούτων ἐςὶν ἡμῖν δημιουργοῖς εἶναι· ἄλλων δὲ οὐκ ἔςιν. Περὶ Τέχν.

vitijs

vitijs ſanguis aut etiam viſcera onerentur, hoc remedij genus licèt febrim arceat ad tempus, non tamen prorſus ſolvit. Ac certò reverſura eſt, niſi alia adhibeantur, quæ huic conſilio ſatisfaciant. Quòd ſi febris, uti ſæpe accidit hujuſmodi remedijs non inſuper adhibitis, minimè tollatur, ea utique in continuam transformatur; atque ita, niſi ad morbi cauſas ſpectes, res ægri in deterrimas ruunt.

*Exemplum ſagacitatem medicorum oſtendens.*

Obſervatione porrò dignum eſt, ſagacitatem antiquorum reverâ indagâſſe naturæ modum, quo utitur ad miaſmata corpore pellenda, quotquot ſanguinem polluunt, nimirum per eruptiones puſtuláſve in cute naſcentes. Id autem rectè ſtatui patet, quoniam ea ipſa miaſmata, quæ ex altero corpore deſumuntur, cum ſanguineis alterius rivis communicata ipſum inficiunt; unde via apertè retegitur, quâ contagia homines lædunt. Hoc ſanè ipſum clarè oſtenditur methodo illam transferendi materiam, quæ per varioloſam febrim pellitur; qualis in ſanguinem admiſſa, ibíque per plures fluitans dies febrim demum acutam excitat cum ſymptomatibus, quæ in variolis priùs obſervata ſunt. Adeò

eandem

eandem ferè Tragœdiam ea ipſa renovant miaſmata, quæ ex alio antehac pulſa corpore fuerant.

*Signorum inveſtigatio admodùm laudanda.*

Propterea nil miri videri poteſt, ſi hoc argumenti claudatur medicorum filios hortando, ut pergant veſtigatione cauſarum per ſigna, conjungántque eorum cognitionem perpetuæ experientiæ; ídque eò magis, quò naturam rerum obſcuriorem reperiant: Plura quippe ejuſmodi erui poſſunt, ſi ad indicia reſpiciant, atque ex eo quod conſtat ad aliud abditum progrediantur; unde aliquando in lucem proditurum eſt hoc ipſum, de quo ambigendi primùm locus fuerat; & nunquam venandi opus omittant, quamdiu ſuſpicio ſeſe offerat, aliquid adhuc falſi latitare. Atque ita quamvis morbos Podagræ nodoſæ, ut & ubi lapides prælargi nequeunt corporis eluctari anguſtijs, nondum medicina nôrit ſolvere; ipſi tamen ope præſagiorum vitandi ſunt, modò ſigna nobis prævia ſatis accuratè cognita ſint, qualia docent corpora ad cauſas horum generandas proclivia eſſe, & dein qualia hoc operis intra penetralia naturæ jam reipsâ agi indicant. Hujuſce quidem rei veſtigia apud Hippocratem

tem nonnulla inveniuntur: Quâ ſanè pleniùs cognitâ medicis liceret amicos ſaltem incolumes præſtare, eóſque omnes, qui ſingula ipſis minutiſſima, quæ ad ſanitatem ſpectant, aperire velint. A minutijs quippe iſtiuſmodi cognitis ut plurimum pendet, quòd medici apud alios feliciſſimi operum, apud alios æquè obtemperantes haud ita felices notantur.

Ut ſagacitas propterea laudanda eſt, quòd rerum veſtigia non inutiliter premat; ſic malè fida indiciorum declaratio eidem vitio vertitur: Quæ quidem ex veri indicum præproperâ ut plurimum prenſatione oritur; unde mentitos veri colores, pro ipſius indicibus aſſumit, etiamſi nondum aſſecuta fuerit. Nec abſimile videtur id vitij canibus quibuſdam venaticis imputatum, qui veluti odorem naribus prehendentes claro omnia ululatu complent, nec tamen quaſi vera indicantibus turba credit. Quod quidem ſæpe inexpertis accidit; ac nonnullos etiam vis talis videtur deficere propter naturam, alios etiam propter conſuetum aliquod vivendi genus, quale ejuſdem potentiam imminuat. *Vitium eidem oppoſitum.*

Affectus

*Affectus.* Affectus igitur hujus loci ea animi remiſſio eſt, quâ indiligenter verum ſagax ſcrutatur; quâ deſultoriè rem agit, nec laborem perpetuum aut ſatis diu continuatum, quanto ad aſſequendum opus eſt, adhibet. Remedium proinde hujuſce affectûs ex gymnaſio ſolertiæ petendum eſt; ubi qui aſſiduè verſatur, jugiter experiendo exercitatur; ac dein lubricáne an fida ſint indicia compertum demum habebit.

CAP.

## Cap. XVIII.

### *De Solertia.*

UT verum veſtigando ſagacitas venatur, ſic ſolertia idem arripit, uſuique vertit: Illa ipſum per varios mæandros inſequitur, uſque dum, ubinam jacet, manifeſtum fuerit; hæc verò repertum occupat, utilitatémque adinvenit. Ideóque temporis diuturnitatem ſagaces, occaſionis momentum ſolertes exoptant. Illi proinde magis res futuras proſpiciunt, hi præſentes intuentur; unde ſagacitas conſilijs, ſolertia agendis rebus nata eſt. *Quâ ratione à Sagacitate contradiſtinguitur.*

Solertis mens ad attentionem parata & promta ſervatur, ita ut ipſa perpetuò inſtantibus adeſſe rebus videatur; quo pacto ſolertia opponitur mentis avocationi per illum ſaltem temporis articulum, ubi ejuſdem *Solertiæ interpretatio.*

imperio opus eſt. Hic quippe cogitandi modus Græcis familiaris olim fuit; unde ex hoc fonte dictio vulgò derivatur, quo nomine hanc dotem (*a*) appellârunt; ubi mentem in proximo & juxtà ſitam eſſe, minimè divagantem at veluti præſentem indicârunt. Nec tamen tacenda nominis illa (*b*) notatio, quæ mentem, hujuſce vi eam quaſi in nodum complexâ, coërceri innuit. Siquidem præcipua in periculis imminentibus ſolertia eſt, non modò arctè attendere ad præſentia, ſed nunc imperio regere impetum, ac effrænem eſſe nequaquam ſinere; nunc & omni niſu, qui rebus mœſtis occurrat, inſuper uti; quíque per angorem mentis (*c*) aptè exprimitur. Unde patet eminentiſſimum ſolertiæ gradum duci in belli tumultu competere, quo opus eſt ad ſimilia tractandum, qualium facies quovis horæ momento immutari ſolet.

---

(*a*) Ἀγχίνοια, quæ vox ſolertiam denotat, conflata eſſe fertur ex *ἄγχι*, *propè* vel *brevì* & *νȣ̃ς* *mens.*

(*b*) Ab *ἄγχω* *coërceo, fræno.*

(*c*) Aut ad humum mœrore gravi deducit, & angit. *Hor.*

Duo

Duo nimirum ſunt ſolertiæ officia, aut occaſionem arripere aut amiſſam redintegrare. Quocirca illud Xenophontis (*a*) monitum legitur; *Ita ſemper paratum eſſe ducem oportet, quaſi ſi jam nuntiatum ſit, hoſtes adventare. Licèt enim valde fideles ſint exploratores, in eo tamen difficultas eſt, ut aliquid in tempore nuntient, quum multa in bello accidere impedimenta ſoleant.* Poſtea verò ſcribit; *Bonum eſſe dari operam, ut res hoſtium per exploratores cognoſcantur. Ego verò eſſe omnium optimum exiſtimo, ut aliquis ipſe, ſi* (*b*) *de tuto quopiam loco liceat hoſtes alicunde contemplari, num in aliquo peccent inſpicere conetur.* Cujus dein exem- *Prima ejus pars.*

(*a*) Ἱππαρχικ.

(*b*) Turenius dux Gallicus (narrante legato ſuo) hunc perpetuò morem ſervare ſolitus eſt; quo ipſius more duci exercitûs adverſi Montecuculio cognito, circumſpexit ſenior ille imperator qualis editus eſt locus, tam prope caſtra ſitus, ut exinde Turenius omnia contempletur; atque ad eundem locum tormenta bellica direxit: Quî factum eſt, ut ipſe hanc rem ignorans, ibi globo ferreo percuſſus fuerit, quamprimum copiam ſui fecit.

plum in alijs animantibus exhibet putà milvi luporúmque; *qui ſi quid incuſtoditum ſit, rapere nôrunt, & priùs in tuta ſe recipere, quàm capiantur.* Nempe prima eſt hæc ſolertiæ pars, occaſionem exploratam & clarè perceptam arripere.

*Occaſionis deſcriptio.* Quoniam autem occaſio, quamprimum ſeſe offert, captanda eſt, veteres eam finxêre (*a*) pedibus pennatis rotæ volubili inſiſtentem, vertigine quaſi velociſſimâ ſe in orbem circumagentem, anteriore capitis parte capilloſâ, poſteriore glabrâ, comitem verò ejuſdem pœnitentiam; hæc nimirum remanet, poſtquam ipſa effugerit. Quinetiam huc liceat transferre pulcrè apud Phædrum (*b*) delineatum tempus, quatenus ad occaſionem ſpectat,

*Curſu volucri pendens in novaculâ,*
*Calvus comosâ fronte, nudo corpore,*
*Quem ſi occupâris, teneas; elapſum ſemel*
*Non ipſe poſſit Jupiter reprehendere:*
*Occaſionem rerum ſignificat brevem.*

---

(*a*) Auſon. in Epigramm.
(*b*) Lib. V. Fab. 8.

*Effectus*

*Effectus impediret ne ſegnis mora,*
*Finxêre antiqui talem effigiem temporis.*

Siquidem ab hâc imagine in novaculâ pendente crediderim Hippocratem (*a*) occaſionem dixiſſe acutam: Quare & medicorum filij illud acutum morbis tribuentes, non modò vehementiam, verùm & temporis brevitatem ſignant, locúmque, ubi occaſio critica conſiſtit, veluti in aciem conſurgere exilem, qualis latitudine, quæ moram tranſeundo trahat, propemodùm deſtituatur.

In hunc modum ſolertia medica ſe habet; dum morbos ad criſin aſſurgentes curet, ſymptomata advertendo, quæ eandem antecedere, & quæ comitari ſolent. Si quando enim à naturâ occaſio priùs detur, eandem arripere novit; neque ſanè expectat dum vitium diutius inſidens novum malúmque introduxerit morem; verùm idipſum mox tollere nititur, antequam humores in partes ſuas traxerit, aut viſcera *Exempla ſolertiæ primæ.*

(*a*) Ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς. Ars in longum excurrit; occaſio verò in acutum.

parteſve ſolidas corruperit. Scilicet hoc artis medicæ eſt, quod facere eum oportet, cui ægrorum malis invigilare, & dehinc occurrendo felici evadere liceat. At raró nec niſi apud paucos, qui amicorum nomine ſalutantur, tam auſpicatò medicinam illi faciunt beati hujuſce ſcientiæ profeſſores, quibus prudentiores experiri ægros contingit. Primum quippe, quod in occurrendis morbis venientibus verſatur, medici munus ijs cedit ut plurimum, quibus cauſæ minoris momenti, quales nimirum morborum initia haberi ſolent, committuntur. Ac propterea hiſce, quibus non ita beatis eſſe licet, ulteriora proſpiciendum morborum tempora, quando radices jamjam egerint, atque adoleverint, & pejora indies metuenda mortem minitentur. Ac proinde quid in gremio naturæ præſidij ſitum ſit ſerotinis iſtis horis perquirere ſæpenumero opus eſt. Ubi quidem poſiti advertent primùm medici, quouſque morbi naturalis ordo turbatur; aut an ægrum ſtatim velut è flammis eripere fas ſit. Et quandocunque per hæc rerum diſcrimina medicina exercenda eſt, ſolertiâ etiam imperatoriâ haud minore opus erit. Ad quam ſanè officij partem exequendam conducunt

conſilia

conſilia ex ſagacitate provenientia, antehac memoriæ prodita: Eòdem enim pertinent omnia, quæ ex Criſi laudabili ſperanda veniunt, quo in opere medicus naturam adjuvabit. Et ſi morbus iſtiuſmodi invaſerit, qualis eſt Cholera, cujus niſi remedijs ſublatæ intra paucas horas exitus fatalis eſt, efficaciſſima in promtu auxilia ſuppeditare medicus ſingulari ſolertiâ dotatus nôrit; cujus exemplum (*a*) invenire eſt apud medicum ſæpe laudatum.

*Pars ſolertiæ altera.*

Altera itidem ſolertiæ pars eſt quæ, etiamſi occaſio elapſa aut nondum data fuerit, aliam ejuſdem ſimilem, paríſve usûs & momenti vel novam planè parere novit. Quali quidem generi non ſemper locus eſt; attamen rerum humanarum conditio adeò in orbem circumagi ſolet, ut perpetuò in veterem figuram revolvatur; atque ſi non facie & habitu eadem, non tamen multùm diverſa in ſcenam occaſio reducatur. Quî autem talis naſcatur, exemplo tradit laudatus autor; (*b*) *Egregium hoc arti-*



---

(*a*) Ἐπιδημ. Βιβλ. Ε΄.

(*b*) Xenoph. ibid. Qui & Græcæ Hiſtoriæ Libro quinto oſtendit exemplo Teleutiæ, quantum momenti

*artificium eſt, ſi poſſit, quum ipſe viribus inferior eſt, metum hoſtibus incutere, ne ſe adoriantur: Quum potior ipſe viribus; eorundem animis indere fiduciam, ut aggrediantur. Sic enim & ipſe minimum detrimenti acceperis, & in primis hoſtes in errore deprehendere poſſis.* Ubi ſanè hinc metum, illinc fiduciam excitare docet, ut occaſio ex hoſtium errore in utrâvis fortunâ, ubi viribus inferiori cuivis vel ſuperiori eſſe contingit, pariatur.

*Hæc ſolertiæ pars Medicinæ utiliſſima.* Quoniam occaſio frequenter præterijt priuſquam Medicus ad ægrum accerſitus fuerit, profeſſio plurimum huic poſteriori ſolertiæ parti debet. Exinde ad occaſionem denuo pariendam ſe accingit; ut, quamvis natura ad ſanitatem rectà tendens impediatur, quò minùs eventum felicem conaminis ſui ſortiatur, ad alios tamen nixus incitetur; &, ſi unico nequeat adortu hoſtem ſuperare, per plures ut idipſum aggrediatur. Similiter unum opus, ratione virium habitâ, in varia partitur ſolertia;

---

momenti ſit in irâ regendâ; quæ, cùm occaſionem plerumque præbet, tum nequa data occupetur, impedit.

&

& quod per unum aliquod itineris genus pelli non poteſt, nec quamdiu unitum ſit omnino ſuperari aut tolli, jamjam imminutum, fractum domitúmque per mille canaliculos excernere annititur. Cæterùm ejuſmodi ſolertiæ exempla per medicorum libros ubique ſparſa reperiuntur, ad qualia proinde digitum duntaxat intendere impræſentiarum opus eſt.

Ex prædictis porrò liquet ſolertiam florem eſſe ex facultatibus ad ſummum excultis natum, qui earundem dotes in ſe complectitur; cujus etiam vis ac pulcritudo à ſingularum præcellenti integritate atque harmoniâ inter ſe pendent. Quædam proinde ingenij dexteritas eſt, quæ omnium vires in unum collectas concinnat, atque adaptat negotio, quod occupat, feliciter tractando; ſive hoc ſit jamjam parta tueri, vel nova quærere; ex difficilibus ſemet expedire, vel mala defendere; incerta ſtabilire, vel fixa convellere; in ordinem confuſa redigere, aut ordinata turbare; denique quæcunque mens cogitanda ſuſcipit, eadem opera peritè conficere, atque omni arte abſoluta reddere. Ut ſolertia enim vigeat, perceptio ſit acuta celerrimáque

*Solertia enitet ex cæteris dotibus.*

lerrimáque neceſſe eſt; ut imaginatio ſtatim res vividè depingat, útque memoria errores æquè ac cauſas eorundem fideliter ac diſtinctè teneat. Siquidem hâc dote prædita mens errores priùs detectos fugit, ſubitóque excogitat quo pacto, ſi quando iter ejuſmodi tranſeundum eſt, greſſus aliò dirigere licet, atque incommoda undiquâque urgentia devitare. Quo in negotio diſcernendi facultas eximiè prodeſt, quæ à noxijs utilia nunc diſtinguit, ſagaci priùs habitu edocta, qualiter res habent.

*Exempla ad medicinam ſpectantia.*

Ad hunc modum Medicina contemplatur ævum iſtud quod hominibus degitur, unà cum omnibus, qui eidem accidunt, morbis, atque exinde diſcit nullam ſanandi rationem eſſe adhibendam, quæ vel ætatis vel itidem morbi ipſius tempori minimè conveniat; quæ nec in diſcrimen tale adducat, quale morbi ingenium in ſe minimè comprehendit. Nimirum qui Arthritidis dolorem ſævientem ſedat, atque ex articulis in viſcera ſive inteſtina repellit, in tempus ſaltem hominem doloris expertem reddit, at malum adauget; quo facto ſæpius occaſio auxilia adminiſtrandi amittitur. Sicut etiam qui pueros puelláſque tan-

tanquam puberes tractat, næ ille curat, ut vix unquam ad virorum mulierúmque perfectam ætatem provehantur.

*Vitium eidem oppoſitum inertia.*

Huic proinde doti opponitur mentis inertia, quæ iterum duplex videtur, quatenus ex adverſo reſpondet huic vel illi ſolertiæ parti: Priori nempe, quæ occaſionem prætervolantem ſéque offerentem arripere novit, à contrarijs ſtat partibus iſtud inertiæ genus, ubi peccatur hinc ob ruditatem atque imperitiam, aut etiam pravum ex conſuetudine morem; illinc propter ignaviam aut ejuſmodi ſtupiditatem, à quâ rerum in præſentiâ utilium neceſſariarúmve ſenſus abeſt: Poſteriori verò quæ apud animum reperit, quo pacto occaſio parienda ſit, alterum inertiæ genus adverſatur, quæ licèt præſentia de facie nôrit commoda, atque illico eadem ſibi conciliare ac prehendere ſtudet, non tamen in rerum penitiùs naturam inſpicere, aut cum præteritis præſentes conferre poteſt; ideóque occaſionem, quæ naſcitura eſt, non prævidere, neque eidem adeò imminere ſolet; nedum cogere res ipſas dimicare, atque ex ſibi felici futuro earum conflictu commoda aucupari, aut incommoda depel-

pellere à ſe novit. Illa quidem inertia in priore caſu haud abſimilis iſti corporis vitio videtur, quod naturæ minimè excultæ deberi conſuevit, dum incompoſitos arte & conſilio carentes dat motus; & in poſteriore caſu non multùm à ſegnitie abludit, qualis corporibus ſubinde morbidis agilitatem prohibet, & ex quâ quoad celeritatem graviter ac ineptè ipſa ſe habent, atque ad labores perferendos oneráque ſuſtinenda prorſus inhabilia cernuntur. Hæc verò mentis inertia, quæ occaſionem parere omnino neſcit, ſterilitatis corporeæ vitium potiùs refert.

*Affectus.* Ex illâ dein inertiâ duplex affectuum genus; ex hâc non niſi unum naſcitur. Ex illâ quippe prius affectuum genus in eo conſiſtit, quòd mens læva ſit, atque omnia pravè agat & interpretetur. Quale quidem junioribus magis accidit; ac proinde, antequam confirmetur, tolli poteſt. Cui ſanè educatio remedium accommodum eſt; præſertim ſi ſodalium atque amicorum dexteritas in auxilium vocetur. Uſus dein rerum adhibendus, & quidem experientiæ crebræ ſcuticâ (ut ita dicam) ſæpe ad amovendum opus eſt; nec quidquam

quam præſentius ferè compertum eſt, quàm ſic habentem occaſionis amiſſæ conſcium fieri; unde feliciùs ac pleniùs docetur, quanti hæcce præterita valet. Hinc enim promta ingenij dexteritas innaſcitur, mentíſque præſentia tanquam neceſſaria cogitur, ne dein occaſio, ſi fortè renovetur, rurſus elabatur. Quinetiam in poſteriore caſu, qui ignavâ mentis hebetudine uſque ad ſtupiditatem afficitur, hunc eâdem uti magiſtrâ oportet; eóque plus acerbitatis requiritur, quò remiſſiùs ſentit, & quò graviùs hebet. Educationi interim ac bonorum ſocietati conjungenda eſt nervei generis confirmatio, non modò diætâ tenui ac parcâ, ſed & frequentiore inediâ. Imò & peregrè proficiſcatur, ut familiariter verſetur cum alienarum regionum incolis; variíſque & ſibi invicem contrarijs hominum moribus ignavus ejuſdem animus arrigatur. Ac denique, in univerſum quæcunque mentem fortiſſimè exacuere valent; hîc eadem uſui futura ſunt. Alterum autem iſtud inertiæ genus, quæ infœcunditas quædam mentis videtur, vix auſpicatiùs amovetur, quàm amoris operâ; cujus quidem flammas in pectore ſuſcitare fœminæ pulcherrimæ ingenióque florentiſſimæ dos

eſt,

eſt, cui ſale ſermonem condiendi, ac dulci omnia lepore contingendi peritiſſimæ eſſe liceat.

*Solertia rarior, vel plurium communis.* Ut autem ſolertiæ gradus eſt, quæ ab alijs parta ſunt, hiſce oblatis frui, ac nobiſmet tradita tueri; ita plures huc conſcendunt; verùm non cuivis contingit eſſe occaſionis artifici; ac proindè ad illum ſuperiorem gradum non poſſe ſe evehere, raró inter vitia hominis numeratur; neque affectûs exinde orti curatio ferè deſideratur; utpote qui perpaucis innoteſcere ſoleat. Idque ſanè non immerito, quoniam ſæpe pendet à penetralibus naturæ probè perſpectis; cujus exemplum prodiderunt (*a*) antiqui in hiſtoriâ Thaletis, quem ferunt, *præcognitâ futurâ ubertate conduxiſſe olearia, pecuniaſque innumeras ſibi comparâſſe.* Quod paulò aliter Cicero: Eum nempe, *omnem oleam, antequam florere cœpiſſet, in agro Mileſio coëmiſſe.* Plinius (*b*) verò hæc; *Ferunt Democritum, qui primus intellexit,*

(*a*) Hieronymus Rhodius apud Laërtium, & Ariſtoteles.

(*b*) Hiſt. Nat. l. 18. c. 28.

*oſten-*

*oſtenditque cum terris cœli ſocietatem, ſpernentibus hanc curam ejus opulentiſſimis civibus, prævisâ olei caritate ex futuro vergiliarum ortu, quâ diximus ratione, oſtendemúſque jam pleniùs, magnâ vilitate tunc propter ſpem olivæ coëmiſſe in toto tractu omne oleum, mirantibus qui paupertatem & quietem doctrinarum ei ſciebant in primis cordi eſſe. Atque ut apparuit cauſa & ingens divitiarum curſus, reſtituiſſe mercedem anxiæ & avidæ dominorum pœnitentiæ, contentum ita probâſſe, opes ſibi, quum vellet, in facili fore. Hoc Seſtius poſtea è Romanis ſectatoribus Athenis fecit eâdem ratione.* Ut interim plura ſunt ſolertiæ inventa utiliſſima, quæ plerumque in diſciplinis concluſa reconduntur, ſic quædam ex hiſce ad artes ſingulares pertinent: Ex quibus etiam quædam vix ullis niſi artis ſuæ peritiſſimis cognita ſunt; alia dein rudioribus ſatis intellecta. Artes autem vel tales ſunt, quales propter demonſtrandi facilitatem, omnibus ferè aperiri queunt; vel quales ſingulari ingenio præditos, ut ritè ac cum laude exerceantur, requirunt: Prioris generis ſunt artes literas depingendi, ac voces ſingulatim legendi; pariter atque numerandi ſecundum regu-

egulas vulgatiſſimas; poſterioris ſunt Oratoria & Poëtica, necnon Medicina.

*Solertia circa ſcopum verſatur.*

Solertia dein alia ſcopum proponit; alia conſilia ad eundem ſpectantia dirigit. Scopus interim dignior ac celſior eſt; aut vilior ac humili ſorte hominibus convenientior: Interdum etiam latior atque amplior eſt; interdum anguſtioribus terminis continetur. Et in hiſce ſingulis præcipuum ſolertiæ munus videtur, ut nequid proponat, niſi quod humeri ferre valeant, & cui ſe ipſam haud imparem eſſe tandem experiatur. Quò ſanè ſpectat celeberrima illa Hippocratis obſervatio, (*a*) *Quidam*

---

(*a*) Εἰσὶ δέ τινες, οἳ καὶ διὰ τοὺς μὴ ἐθέλοντας ἐγχειρέειν τοῖσι κεκρατημένοισιν ὑπὸ τῶν νοσημάτων μέμφονται τὴν ἰητρικὴν, λέγοντες ὡς ταῦτα μὲν καὶ αὐτὰ ὑφ᾽ αὐτῶν ἂν ἐξυγιάζοιτο, ἃ ἐγχειρέουσιν ἰᾶσθαι· ἃ δ᾽ ἐπικουρίης δεῖται, οὐχ ἅπτονται· δεῖν δὲ, εἴπερ ἦν ἡ τέχνη, πάνθ᾽ ὁμοίως ἰᾶσθαι. Οἱ μὲν οὖν ταῦτα λέγοντες, εἰ ἐμέμφοντο τοῖς ἰητροῖς, ὅτι αὐτέων τοιαῦτα λεγόντων οὐκ ἐπιμελοῦνται ὡς παραφρονεύντων, εἰκότως ἂν ἐμέμφοντο μᾶλλον, ἢ ἐκεῖνα μεμφόμενοι. Εἰ γάρ τις τέχνην, ἐς ἃ μὴ τέχνη, ἢ φύσιν, ἐς ἃ μὴ πέφυκεν, ἀξιώσειε δύνασθαι, ἀγνοεῖ ἀγνοίην, ἁρμόζουσαν μανίῃ μᾶλλον ἢ ἀμαθίῃ. Περὶ Τέχν.

ſunt,

*ſunt, qui ob eos, qui victis à morbis curam adhibere nolunt, medicinam ipſam reprehendunt, dicúntque, quòd morbi, quos ſanare aggrediuntur illi, per ſeipſos fuiſſent ſanati. Qui verò auxilio opus habent, eos non contingunt. Oportebat autem, inquiunt, ſiquidem ars erat, omnibus æquè morbis ſanitatem afferre. Qui igitur hæc dicunt, ſi medicis indignarentur, quòd ipſorum talia dicentium non ut delirantium curam habeant, meritò ſanè ſuccenſuerint magis, quàm quòd illa reprehendunt. Si quis enim ab arte potentiam in ea quæ non profitetur, aut à naturâ facultatem in ea ad quæ nata non eſt, exigat; is ignorat inſaniam dementiæ potiùs quàm ignorantiæ convenire.*

Nempe primum curat ſolers, ut propoſitum aſſequendi ſecurus evadat, ac dein ut conſilia eòdem propriè pertinentia ineat; ideóque viam, quæ per conſilia aperitur, undiquâque muniat, ne cauſæ velut ex inſidijs adortæ tranſitum inhibeant. Hinc igitur invenit, quibus rem totam, dum tranſigitur, celet, & cœpta, aliá ab eâ quæ apparet ſpecie, prætexat. Hinc & conſilijs imperatorijs ſpecies vel jugiter diverſa à verâ facie oſtenditur, vel tam frequenter, *Vel conſilia.*

quenter, ut minimè eidem fidendum ſit: Ac propterea Xenophon (*a*) diſertè prodit; *Nihil adeò fructuoſum in bello, quàm deceptio.* Qualem ſcilicet ſolertiam aucupes in volucribus notant, dum nidos celent, hoſce quærentes abducendo à locis ubi ſiti ſunt, procul nimirum ab ijſdem volitando, atque aliò iter aëreum faciendo. Ad eundem pariter modum ſolertia medentium abſinthij, dum pueris exhibet, (*b*) amaritiem fallit.

*Conſilia conſilijs opponit.* Verùm non raró evenit ut conſilijs contraria conſilia ſint, atque exinde eorum conflictus naſcantur; haud ſecùs ac qui

---

(*a*) Ἱππαρχ.

(*b*) —Veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavóque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur,
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthî laticem, deceptáque non capiatur,
Sed potiùs tali facto recreata valeſcat.

*Lucret.* Lib. 1.

tranſ-

tranſverſis cuniculis hoſtium cuniculos excipiunt. Idem propè ſolertiæ accidit, quam ſubinde irritam reddere alienum conſilium oportet, antequam ſibi cogitatum exequi queat. Enimvero hìc magnopere annitendum videtur, tam aperta coràm omnia habere, ut quæ abdita ſunt non ultrà metuere par ſit. In hunc modum Palamedes Ulyſſis furorem ſolummodò fictum retexit; dum, quò graviùs inſanire videretur, junctis diverſæ naturæ animalibus ſalem ſerebat. Telemachum quippe filium objecit, quo viſo Ulyſſes aratum ſubitò ſuſpendit, ne eum læderet, ſéque non furioſum eſſe, prout ſimulârat, prodidit. Quo in genere periculum, contra quod maximè muniendum eſt, exinde imminet, quod etiamſi hoc conſilij irritum reddatur, aliud tamen integrum manere forſan poſſit. Atque ita quamvis Palamedes tectum Ulyſſis conſilium fruſtratus fuiſſet, & ad bellum coëgiſſet, ei tamen ſolummodò occaſionem præbuit, vitæ ſuæ inſidias poſtea ſtruendi. Nec hujus quidem ſolertiæ exors eſt Medicina; utpote quæ frequenter monet, inter ſymptomata atque morbos ipſos multum, quod ad curationes, intereſſe; ideóque cavendum, ne, dum ſymptomatis ali-

cujus vehementia mitigatur, morbus interim aggraveſcat.

*Solertia juniorum ac ſeniorum.*

Quoniam autem irrita frequenter optima redduntur conſilia, ideo hæc ſolertia, quæ dum juniores ſunt, novis adhuc excogitandis exequendíſque probatur, non ſine cautione provectâ jam ætate in operibus verſatur: Idque quia hæcce didicit bona rariùs, mala verò ſæpius expectare; ac dein prorſus nova vix tentare audet, at notioribus ſibique omnino perſpectis contenta manet. Ac proinde ſolertia intra fines coërcetur anguſtiores, prout magis magíſque indies cautionem fidum ſibi comitem aſciſcit. Quippe quò maturiori quiſpiam ſolertiâ dotatus fuerit, eò pleniùs clariúſque artes fallendi conſiliáque, quibus doli artifices illudere ſoliti ſunt, novit; eò ſcilicet frequentiùs incertam omnium conſiliorum conditionem expertus fuit. Quare ſolertes jam ſeniores minimum negotij fortunæ poſthac tranſigendi volunt permittere: Ac propterea id ultimum in votis habent, ut ſeſe ſibíque parta tueantur; & ſecum in primis ſedulo perpendunt, quâ ratione ſecuri ijſdem fruendi evadant; & dein ſiqua ſibi nova optant,

tant, ut viâ ipſis notiſſimâ ad eadem accedant, in quâ nimirum eos nullum adire periculum abunde conſtiterit. Sagacitas enim, quæ, niſi natura neget, largâ experientiâ adaugetur, creſcítque prout res ipſæ quotidie exhibitæ atque coràm apertæ ſemet ſignis manifeſtas faciunt, ad juſtam maturitatem unà cum ſolertiâ conſurgit; ac dein ſub auſpicijs illius hæc ipſa in poſterum militat, nihilque injuſſu ejuſdem audet. Suſpicio quippe magis ſolertiæ jam ſeniori dominatur, & quæ ſola periculis fida ſatis nôrit, ea veluti indicia reponit, ex quibus futura innoteſcant. Adeò ut ſolertiæ labores ſuſpicionibus perpetuò recurrentibus ad ſagacitatem perducant, eáque certa ſuppeditent indicia; unde itidem nulla niſi ſagacitati probata ſolertes ultimùm affectare ſolent. Ex ordine demum earundem dotum ſic diſpoſitarum melioris ea naturæ ſors naſcitur, cujus expertes evaſiſſe medicinæ peritiſſimos, ipſiúſque operum feliciſſimos memoriæ nullibi, quod ſciam, proditum eſt.

## Cap. XIX.

## *De Imperatrice facultate.*

*Qualis ſit.* IMPERATRIX facultas, quoniam in eâ mentis poteſtas ſummè elucet, totius titulo frequenter inſignitur. Siquidem ipſius eſt, dum omnia intus bene habent, non modò reliquas mentis facultates, verùm etiam animum pariter regere. Sub eâdem itidem militat Locomotrix; omnéſque corporis copiæ eidem aliquatenus parent. Quanquam illud non diffitendum ſit, hanc facultatem plus apud alios, apud alios minùs valere, non ſolùm ob naturam, ſed & inſtitutionem, ac eorum præcognitionem, quæ actiones conſecutura ſunt. Hæc ipſa interim ab initio dux (*a*) eſt,

(*a*) Græcis τὸ ἡγημονικὸν dicitur.

per-

perpetuóque agendis rebus mentis inſtat, monitáque & conſilia, qualia probat, exequitur: Atque ita prout ſponte ex hiſce oritur, Voluntas (*a*) nominatur. Quæ quoniam ſui (*b*) juris eſt, legibúſque adeò ſoluta, ut omnibus alijs facultatibus fræ-num injicere, atque animadverſionibus earum non ſolùm reniti, ſed & contraria amplecti penes eandem ſit, arbitrium in hâc ſitum videtur.

Profectò idipſum hîc ſitum eſſe palàm fit obſervando, ipſam vel non omnino res rationéſque ipſarum advertere, vel quòuſque ſolùm vult; ideóque in partes judicis ire, aut animi affectuum. Prius eſt rationis iter; poſterius verò, quale ſine ratione placuit: Prius naturæ æquabiliter temperatæ plurimum debet, ac dein inſtitutioni rectæ, rerúmque longo uſui; dum alterum æſtuantis atque incultæ naturæ ſoboles eſt, qualis reſtat indomita, ac fræna rationis depellere ſæpe ſolita eſt. *Munus ejuſdem.*

(*a*) Βȣ́λομαι [unde & Volo] ἀπὸ τῶν βȣλῶν.

(*b*) Αὐτεξȣ́σιον, ſuæ poteſtatis.

Proinde quicquid hoc imperium ratione ſolutum auget, non ſanè dubitandum, quin idipſum robur corpori, viréſque locomotrici facultati, imò & ſenſibus externis addat, hominémque ad bruta animantia propiùs deducat; mentem verò quatenus rationis particeps eſt eatenus lædit, ac in errores procliviorem atque contumaciorem reddit, imò ita propoſiti tenacem, ut ab eodem nullâ ratione abduci queat.

*Vitia.* In vitium proinde currit imperatrix, quandocunque ſeſe permittat imaginationi malè ſanæ affectibúſve animi rapiendam in omnia alia ab ijs, quæ judicandi ac recognoſcendi facultates declarant. Duplici enim nomine peccat; vel eò quòd nunquam ab hoc, quod temerè & ſine ratione vult, dimoveri queat, vel è contrario, quòd ab optimè inſtitutis facilè ſeducatur. Prior ſiquidem ea obfirmata voluntatis pertinacia ſæpius animi cuidam affectui debetur, ac proinde donec ejus vehementia reſederit, mens in alterius quaſi poteſtatem redacta, eidem omnino paret. Poſterior verò tractabilis hæc voluntatis mollities in alteram inclinat partem non minùs

minùs periculoſam; ubi hæc facultas ductilis & in quemvis habitum ſequax, veluti cera impreſſam aliam ab aliâ imaginem capit, omniúmque dein formarum eſt, neque ſibi conſtans, nec, quæ ab alijs diſcit, diutius retinens.

Inter utrumque autem extremum felix ea arbitrandi libertas interjacet, quæ non niſi rationum momentis in has vel illas partes inclinatur; neque ullius verbis eòuſque fidem habet, ut ab ijs poteſtas diſſentiendi, quandocunque res aliter habeat, minuatur. Enimvero nullum inſignius aut certius ſanitatis integerrimæ documentum imperatrix dare poteſt, quàm quod ipſius libertas prodit; ideóque omnia, quæ hanc præcidunt, eatenus etiam illam perdunt. Interea undecunque fit ut aliquid facere imperatrix addicta ſit, quod aut conſilijs monitíſve facultatum reliquarum mentis ſuperiorum adverſatur, aut ex ijſdem non deducitur; exinde ſanè libertas adimitur. Eâ quippe lege imperat, ut in primis ſui ipſius ſaluti in univerſum conſulatur, & ut quicquid eò tendere videtur, ne illud repudiare, nedum *Sanitas.*

dum eidem repugnantia amplecti velit. Huc autem pertinent non modò ea, quæ ad ſui conſervationem primâ facie rectà conducunt, verùm itidem, quæ, ut ipſi bene ſit, faciunt. At ſi novum aliquid hiſce adverſum tentet, renitendi & reprehendendi ſtudia ſingularum facultatum hinc ſenſura eſt, eóque fortiora quò accuratiori ſanitate eædem fruuntur. Quo tandem pacto talis illius libertas eſt, quale imperium; hoc verò nullâ aliâ ratione conſtare poteſt, quàm quâ vota convenientia ſunt naturæ ſuæ dictatis; unde hæc facultas aliena ab hiſce ipſis nonvult, dum liberrima eſt.

*Libertas.* Libertas proinde hujuſce facultatis non ultra fines naturæ extenditur; qualis corpori liberè ſe moventi accidit, dum extraneâ quâvis vi, aut etiam deſuetudine habitúve malo, aut aliquo alio morbo minimè impeditur, quin pro naturæ modo ultro ad hoc vel illud loci illæſum pervenire poteſt. Neque ſanè idipſum liberiùs movetur, quoniam velociùs violentiúſve aut diutius, quàm natura ferre queat, ſe homo proripit & exagitatur, & quia

quia ſi id fiat læditur; propterea quòd hoc ad naturæ ſolutam lege licentiam pertineat. Ad eundem quippe modum vera arbitrij libertas intra naturæ ſuæ fines ſubſiſtit; secùs ordo naturalis facultatum turbatur, & earum repugnantia voluntati inde initium ſumens, harmoniæ vincula abrumpit; unde etiam pœnas naturæ violatæ ſe in ejuſmodi libertatem vindicantes pendunt.

Quod autem vi extrinſecus illatæ ut & deſuetudini corporis libertatem adimentibus reſpondet, hoc ignorantiæ veluti vincula referunt; quoniam ut res externæ motibus corporeis obſiſtunt, ac deſuetudo exinde ortum ducit; ita etiam imperatrix ab inſcitiâ tanquam devincitur, cæteraéque mentis facultates coërcentur & quaſi incarcerantur; unde neque dotes ſuas ampliare, nec munijs ſuis fungi, ſi quid proponitur, poſſunt. Ac porrò res ipſa ſæpe in causâ eſt, vel ob hanc intelligendi atque interpretandi difficultatem, vel etiam ob varias ejuſdem multiplicéſque rationes, quibus mens impeditur; quare circa eandem evolvendam *Libertatem adimentia extrinſecus.*

cum

cum libertate verſari nequeat. Tam varia quippe ac multiplex eſt quarundam rerum rationúmque ad eas ſpectantium natura, ut, haud ſecùs ac labyrinthi oſtia atque ambages, aperturis paſſim novis numero carentibus huc illuc mentem avocent; quorum omnia, unicum ſi excipias iter rectum, à vero deflectunt.

*Et intrinſecus præjudicia.*

Præterea imperatrix frequenter præjudicijs adeò occupatur, anguſtatur, atque ad eadem quaſi religatur, ut dehinc libertas ab hiſce alia meditandi adimatur. Præjudicia quippe reſpondent malo corporis habitui, ex quo imbecillitas libertatem præcidit. Hoc autem caſu captiva hæc facultas ſervire his, quæ jam occupârunt, & ex illis omnia eidem ſubjecta æſtimare propè cogitur. Quo quidem animadverſo, philoſophi in libertatem diſcipulorum ſuorum mentes vindicare aggreſſi ſunt, omnémque anticipationem rei cujuſvis ab ijs amovere; ut hæ tanquam tabulæ raſæ evaderent. Neque ſanè liberas eſſe eaſdem agnoverunt, quæ opinioni cuivis aſſenſum præbuerant, cui recta ratio non prorſus aſtipularetur.

Hinc

Hinc propterea orta eſt ingeniorum diſtributio, quæ vel liberis vel ſervis accenſentur: Hæc vel talia ſunt naturâ, vel libertatem priſtinam amiſerunt; illa naturâ ſunt libera, at non ſine culpâ ſuâ ſervitutem patiuntur. Alia itidem mediocria frequenter occurrunt, quæ nec totam ſervitutem pati poſſunt, nec totam libertatem.

Morbis itidem ea libertas præciditur, ac nonnunquam prorſus amittitur; ídque diverſimodè accidit. Eſt enim ubi nunquam poſtea recipitur; eſt ubi aliquatenus, non tamen in integrum. Morbi verò, per quos liberæ huic facultati eſſe non licet, aut ij ſunt, qui facultates aliquas mentis afficiunt, vel tollunt; ídque aut ſtatis temporibus periodicè recurrendo, aut per vices incertas: Quemadmodum prioris casûs exemplo ſunt febris intermittens; cui per paroxyſmos certò reverſuros frequenter delirium accidit; ut & Epilepſia, cujus inſultu durante cogitandi libertas adimitur. Eſt etiam ubi ea libertas præciditur per acceſſionem unicam, quale in Apoplecticâ cernitur; quæ *Et morbi.*

modò

modò non fortis ſit, ſed curationem perfectam admittat, minimè per paroxyſmos reverti ſolet. Idem & Comati accidit. Quin & libertatem pariter adimunt Phrenitis; cæteræque inſaniæ ſpecies: Et ex hiſce itidem ſunt, quæ quibuſdam tempeſtatibus exacerbantur. De quibus ſanè omnibus quatenus varia morborum genera ſunt, nunc non eſt agendi locus.

*Morbi ejus peculiares.* Morbi proinde, qui ad hanc facultatem peculiariter ſpectant, ex vitijs ejuſdem priùs nominatis ut plurimum oriuntur. Illius ſiquidem pertinaciæ ac perſeverantiſſimo pravæ cujuſvis rei ſtudio malus iſte habitus plerumque debetur, qui Mania dici ſolet: Sicuti alteri cereæ ipſius mollitiei accidit ſtoliditas. Ac propterea prior iſte affectus, ut ad inferiorem ſanitatis corporeæ gradum deducatur neceſſe eſt: Ad quem ſanè finem utilis cibus potióque infirmiſſima; utilis itidem aër humidus. Mens interim à ſtudio eodem hujuſce rei pervicaci avocanda eſt, quam tam obſtinatâ antè vehementiâ amplexata fuerat. Quod quidem vix fieri poteſt ſine variarum voluptatum irritamentis, perinde atque

atque dolorum acerbitate. Remedijs verò poſteriori ſunt, quæcunque vim menti addunt, ipſámque acuunt. Qualia ſunt corporis exercitatio per ſiccum purúmque aërem, temporúmque ſæpe inediæ congruentium interpoſitio; talíſque per omnia regiminis obſervatio, quale ad corpus attenuandum conducat; neque vitioſis humoribus procreandis inſerviat, qui craſſi ſegnéſve aut inertes minimè latices corporis circumfluos onerent, neque mentem exinde prægravent.

*FINIS.*

## BOOKS printed for J. Walthoe.

I. Dr. Freind's History of Physick; from the Time of *Galen*, to the Beginning of the Sixteenth Century. Chiefly with Regard to Practice. In a Diſcourſe written to Dr. Mead. 2 Vol. 8*vo*. 3d Edit.

II. Pomet's History of Drugs; with their Uſe in Phyſick, Chymiſtry, Pharmacy, *&c.* Illuſtrated with above 400 Copper Cuts, curiouſly drawn from the Life. 2 Vol. 4*to*. 2d Edit.

III. Dionis's Anatomy of Human Bodies; improv'd according to the Circulation of the Blood, and all the Modern Diſcoveries. 8*vo*. 3d Edit.

IV. Dr. Turner's Treatiſe of Diseases incident to the Skin. With an Appendix concerning the Efficacy of local Remedies, and the Manner of their Operations. 2d Edit. enlarg'd.

V. Dr. Turner's Practical Diſſertation on the Venereal Disease. In which, after an Account of its Nature and Original, the Diagnoſtick and Prognoſtick Signs, with the beſt Ways of Curing that Diſtemper, together with many Hiſtories relating to the ſame, are candidly, and without Reſerve, communicated. 8*vo*. 2d Edit. much enlarg'd.

*Books Printed and Sold by* J. WALTHÖE *over-againſt the* Royal-Exchange *in* Cornhill. 1726.

ADventures of *Telemachus*, tranſlated by Mr. *Littlebury*. The Eleventh Edition, with Cuts, and an Alphabetical Index to each Volume, 2 Vols. 12*mo*.
Advantages of the *Eaſt-India* Trade to *England*, 8*vo*.
*Alvarado*'s Spaniſh and Engliſh Dialogues, containing an eaſy Method for learning either of thoſe Languages, 12*mo*.
*Addiſon*'s Works.
*Atalantis*, 4 Vols. 12*mo*. with the Key.
Art of Criticiſm, tranſlated from the French of Father *Bohours*, 8*vo*.
Aphoriſms of *Hippocrates*, Engl. by Sir *C. J. Sprengell*, M. D. 8*vo*.
*Athenagoras*'s Apologeticks, Engl. by Mr. *Humphreys*, 8*vo*.
Abridgment of the Philoſophical Tranſactions, 5 Vols. 4*to*.
- - - - - - of the Statutes, 6 Vols. 8*vo*.

B*Urchett*'s Hiſtory of the moſt remarkable Tranſactions at Sea. Publiſh'd with his Majeſty's Royal Licence, *Folio*.
*Bingham*'s Antiquities, and other Works, 2 Vols. *Folio*.
*Blackerby*'s Juſtice of Peace's Companion, 12*mo*.
- - - - - Common-Law Caſes relating to Juſtices of the Peace.
Lord *Bacon*'s Eſſays, 8*vo*.
*Burnet*'s Theory of the Earth, 2 Vols. 8*vo*.
*Bruyere*'s Characters, 2 Vols. 8*vo*.
*Boyer*'s French and Engliſh Dictionary, 8*vo*.----French Grammar, 8*vo*.
*Boſſu* of Epic Poetry, 2 Vols. 12*mo*.
*Tom. Brown*'s Works, 5 Vols. 12*mo*.
*Boccace*'s Novels, 8*vo*.
*Bailey*'s Engliſh Dictionary, 8*vo*.
*Behn*'s Novels, 2 Vols. 12*mo*.---Plays, 4 Vols. 12*mo*.
*Bradley* of Gardening, 8*vo*.
*Beveridge*'s Private Thoughts, 12*mo*.
- - - - - of Prayer and frequent Communion, 12*mo*.
- - - - - Theſaurus Theologicus, 4 Vols. 8*vo*.
*Boyle*'s Philoſophical Works, abridg'd, 3 Vols. 4*to*.
*Boerhave*'s Method of ſtudying Phyſick, 8*vo*.
*Barrow*'s Works, 2 Vols. *Folio*.
- - - - on Contentment, 12*mo*.
*Blackmore*'s Poems on various Subjects, 8*vo*.
*Boileau*'s Works, 3 Vols. 8*vo*.
Drunken *Barnaby*'s four Journies, in Latin and Engliſh Metre, 12*mo*.

ARchbiſhop of *Cambray* of Eloquence, *&c.* tranſlated from the French and illuſtrated with Notes, *&c.* by Mr. *Stevenſon*, 8*vo*.
Clergyman's Law, by *W. Watſon*, 3d Edit. *Folio*.
A Common-Place Book to the Bible, 3d Edit. improv'd, 4*to*.
Compleat Geographer, with Maps, by *H. Moll*, 4th Edit. *Folio*.
*Carkeſſe*'s Book of Rates, *Folio*, 1726.
*Chamberlayne*'s State of Great Britain, 8*vo*.
Lord *Clarendon*'s Hiſtory of the Rebellion, 6 Vols, 8*vo*.
*Cato*'s Letters, publiſh'd in the London and British Journals, 4 Vols 12*mo*.
*Congreve*'s Plays and Poems, 2 Vols. 12*mo*.
*Cowley*'s Works, 3 Vols. 12*mo*.
*Cole*'s Latin and Engliſh Dictionary, 8*vo*.
*Cole*'s Engliſh Dictionary, 8*vo*.
*Cæſar* ex Recenſione *Tho. Parſell*, 12*mo*.
Collection of Novels, 6 Vols. 12*mo*.
*Croxall*'s Æſop's Fables, 12*mo*.
Chriſtian Pattern, by *Tho. à Kempis*. Engl. by Dr. *Stanhope*, 8*vo*. and 12*mo*.
*Cremer*'s two Orations on the Doctrine of the Croſs.
Lady *Chudleigh*'s Eſſays, 8*vo*.
*Crawford*'s Novels, 8*vo*.
*Caſtaing*'s Intereſt, 24*mo*.
Cenſor, 3 Vols, 12*mo*.

*Caſſandra*, a Romance, 3d Edit, 5 Vols. 12*mo.*
*Coke*'s Reports, in Engliſh, with References, 6 Vols. 8*vo.*
Catalogue of the Common and Statute Law Books, 12*mo.*

DEſaguliers's Syſtem of Experimental Philoſophy, 4*to.*
*Dupin*'s Univerſal Library of Hiſtorians, 2 Vols. 8*vo.*
*Dryden*'s Fables—Miſcellanies, 6 Vols.—*Virgil*, 3 Vols.—*Juvenal*, 12*mo.*
*Derham*'s Phyſico-Theology, 6th Edit. 8*vo.*
- - - - Aſtro-Theology, 5th Edit. 8*vo.*
*Drelincourt* on Death 8*vo*,
*Drexelius* on Eternity, Engl. by Dr. *Dunſter.*

EVelyn's Parallel of Architecture, 3d Edit. *Folio.*
*Echard*'s Roman Hiſtory, 5 Vols. 8*vo.*
- - - - - - Hiſtory of England, *Folio.*
- - - - - - Gazetteer, in two Parts, 12*mo.*
Examiners, 12*mo.*
*Eraſmi* Colloquia, 8*vo.*

FReind's Hiſtory of Phyſick, 3d Edit. 2 Vols. 8*vo.*
*Fontenelle*'s Plurality of Worlds, Engl. by *Gardiner*, 12*mo.*
*Felton*'s Diſſertation on the Claſſicks, 12*mo.*
*Frezier*'s Voyage to the South-Sea, 4*to.*
*Fanſhaw*'s Letters, during his Embaſſies in Spain and Portugal, 8*vo.*
Biſhop *Fleetwood*'s plain Method of Chriſtian Devotion, 25th Edit. 12*mo.*
- - - - - - - - - Reaſonable Communicant, 12*mo.*
Female Falſehood; or, the Life and Adventures of a late French Nobleman, written by himſelf, and digeſted by M. *St. Evremond*, 3d Edit. 2 Vols. 12*mo.*

BIſhop *Gibſon*'s Viſitation Charges, 8*vo.*
*Gwillim*'s Diſplay of Heraldry, 6th Edit. enlarg'd, *Folio.*
*Goodman*'s Winter-Evening Conference, 8*vo.*
*Gordon*'s Geographical Grammar, 8*vo.*
Lord *Grey*'s Love-Letters, 3 Vols. 12*mo.*
Gentleman's Dictionary, 8*vo.*
- - - - - - Recreations, 2d Edit. enlarg'd, *Folio.*
*Gregory*'s Account of the Sepulchres of the Antients, 8*vo.*

HArris's Lexicon Technicum, or Univerſal Dictionary of Arts and Sciences, 2 Vols. *Folio.*
*Hope*'s Compleat Horſeman. *Folio.*
- - - Horſeman abridg'd, 8*vo.*
Lord *Haverſham*'s Miſcellanies, 8*vo.*
Hiſtory of *Herodotus*, Engl. by *Littlebury*, 2 Vols. 8*vo.*
Hiſtory of *England*, 3 Vols. *Folio.*
*Hudibras*, with new Cuts, 12*mo.* 1726.
Hiſtory of the Four firſt Years of the Reign of King *George*, 8*vo.*
*Horneck*'s Crucified Jeſus, 8*vo.*
- - - - Great Law of Conſideration, 8*vo.*
*Hawkins*'s Treatiſe of the Pleas of the Crown, 2d Edit. *Folio.*
- - - - - Abridgment of *Coke* on *Littleton*, 3d Edit. 12*mo.*
*Hale*'s Hiſtory and Analyſis of the Common Law, 8*vo.*
Hiſtory of the *Chancery*; relating to the Judicial Power of that Court, and the Rights of the Maſters, 12*mo.* 1726.
*Heylin*'s Help to *Engliſh* Hiſtory, 12*mo.*
The Hive: A Collection of the moſt celebrated Songs, 3 Vols. each Volume containing near 300 Songs, 3d Edit. 12*mo.*

BEN. *Johnſon*'s Works, with Cuts, 6 Vols. 8*vo.*
*Juſtin* ex Recenſione *Tho. Parſell*, 12*mo.*

KING's Conſtitution, Diſcipline, and Worſhip of the Primitive Church, 8*vo.*
- - - Hiſtory of the Apoſtle's Creed, 8*vo.*
*Kennet*'s Roman Antiquities, 8*vo.*
*Kettlewell*'s Works, with his Life, 2 Vols. *Folio.*
- - - - - - of the Sacrament, 8*vo.*

LETTERS between Dr. *Wood* (the Pretender's Phyſician) and *Whitlocke Bulſtrode* Eſq; publiſh'd with a Preface by Mr. *Bulſtrode*, 8*vo.*
*Le Clerc*'s compleat Surgeon, 2 Vols. 12*mo.*

*Lucretius*

*Lucretius* tranſlated into *Engliſh* Verſe, by *Tho. Creech.* The ſixth Edit. with Notes, 2 Vols. 8*vo.*
*Locke*'s Works, 3 Vols. *Folio.*
- - - of Human Underſtanding, 2 Vols. 8*vo.*
*Lee*'s Plays, 3 Vols. 12*mo.*
*L'Eſtrange*'s *Æſop*'s Fables, 8*vo.*
Life and Adventures of *Lazarillo de Tormes*, with Cuts, 12*mo.*
*Littleton*'s Latin and Engliſh Dictionary, 4*to.*
Laws of Poetry: Being a Commentary on the Duke of *Buckingham*'s Eſſay on Poetry, and the Earl of *Roſcommon*'s Eſſay on tranſlated Verſe; with Notes on the Lord *Landſdown*'s Poem on unnatural Flights in Poetry. The Commentary written by Mr. *Gildon*, and reviſ'd by the Duke of *Bucks*: The Notes wrote by Lord *Landſdown*, 8*vo.*
Letters of *Abelard* and *Heloiſe*, 12*mo.*
Laws concerning Juries, 5th Edit. by *G. Duncombe* Eſq; 8*vo.*
- - - concerning Trials in High-Treaſon, *&c.* By *W. J.* Eſq; 8*vo.*
- - - concerning Husbands and Wives, 2d Edit. 8*vo.*
- - - concerning Landlords and Tenants, 8th Edit. 12*mo.*
- - - concerning Bankrupts, by Serjeant *Goodinge*, 8*vo.*
- - - concerning Maſters and Servants, 8*vo.*
Legal Proviſions for the Poor, by *S. Carter* Eſq; 4th Edit. 12*mo.*

M*Achiavel*'s Works, *Folio.*
*Miſſon*'s Voyage to *Italy*, 4 Vols. 8*vo.*
Memoirs of *Anne* of *Auſtria*, 5 Vols. 12*mo.*
Manual of Devotions, 12*mo.*
*Mortimer*'s Art of Husbandry, 2 Vols, 8*vo.*
*Manley*'s Novels, 8*vo.*
*Milton*'s Paradiſe Loſt and Regain'd, 2 Vols. 12*mo.*
*Moyle*'s Works, 2 Vols. 8*vo.*
*Morden*'s Introduction to Aſtronomy, Geography, and Navigation, 8*vo.*
*Molloy*'s Treatiſe of Affairs Maritime and of Commerce, 6th Edit. 8*vo.*

N*Ichols*'s Conference with a Theiſt, 3d Edit. with Additions, 2 Vols. 8*vo.*
*Nelſon*'s Feaſts and Faſts of the Church, 8*vo.*
- - - - - - on the Sacrament, 12*mo.*
- - - - - - Addreſs to Perſons of Quality and Eſtate, 8*vo.*
*Newton*'s Opticks, 8*vo.*
- - - - Philoſophiæ Naturalis Principia Mathematica, 3d Edit. 4*to.*
*Nelſon*'s Office and Authority of a Juſtice of the Peace, 8*vo.*

O*Tway*'s Plays, 2 Vols. 12*mo.*
*Osborn*'s Works, 2 Vols. 12*mo.*
*Oldham*'s Works, 2 Vols. 12*mo.*
*Ovid*'s Epiſtles, 12*mo.*
- - - Art of Love, 12*mo.*
- - - Metamorphoſes, 2 Vols. 12*mo.*

P*Uffendorf*'s Law of Nature and Nations, *Folio.*
- - - - - Introduction to the Hiſtory of *Europe*, 8*vo.*
*Pomet*'s Hiſtory of Druggs 4*to*
*Prideaux*'s Connection of the Hiſtory of the Old and New Teſtament, 4 Vols.
- - - - - Life of *Mahomet*, 8*vo.*
*Plutarch*'s Lives, 5 Vols.——Morals, 5 Vols. 12*mo.*
*Pointer*'s Miſcellanea, in uſum Juventutis Academicæ; 8*vo.*
Biſhop *Pearſon* on the Creed, *Folio.*
Biſhop *Potter*'s Antiquities of *Greece*, 2 Vols. 8*vo.*
*Pope*'s Miſcellanies, 2 Vols. 12*mo.*——*Homer*, 12*mo.*
Pharmacopœia Collegii Regalis Medicorum Londinenſis, 12*mo.*
*Prior*'s Poems, 2 Vols, 12*mo.*
Biſhop *Patrick*'s Devout Chriſtian,——Chriſtian Sacrifice, 12*mo.*
*Philips*'s Plays, *viz.* the Diſtreſt Mother, the Briton, *Humphry* Duke of *Glouceſter*, 12*mo.*
- - - - Free-thinker, 3 Vols. 8*vo.*
*Plot*'s Natural Hiſtory of *Oxfordſhire*, *Folio.*
The *Pantheon*, repreſenting the fabulous Hiſtories of the Heathen Gods, 8*vo.*
*Pomfret*'s Poems on ſeveral Occaſions, 6th Edit. 12*mo.*
*Privilegia Londini*, or the Rights, Liberties, Privileges, Laws, and Cuſtoms of the City of *London*, 3d Edit. 8*vo.*

*Quincy*'s

QUincy's Diſpenſatory, *8vo*.----Lectures in Pharmacy, *4to*.--- Phyſical Dictionary, 3d Edit. *8vo*.---Sanctorius, *8vo*.
*Quarles*'s Emblems. *12mo*.

RYmer's General Repreſentation of Reveal'd Religion, *8vo*.
Religion of Nature delineated, *4to*.
*Ray*'s Wiſdom of God in the Creation, *8vo*.
--- Phyſico-Theological Diſcourſes, *8vo*.
*Roſcommon* and *Dukes* Poems, *8vo*.
*Rapin*'s Critical Works, 2 Vols. *8vo*.
*Ruſhworth*'s Hiſtorical Collections, 8 Vols. *Folio*.
*Rocheſter*'s Works, *12mo*.
*Rowe*'s Plays and Poems, 3 Vols. *12mo*.
*Rochefoucauld*'s Moral Reflections and Maxims, *12mo*.

SElden's Works, publiſh'd by Dr. *Wilkins*, 6 Vols. *Folio*.
Lord *Shaftsbury*'s Characteriſticks, 3 Vols. *8vo*.
*Seneca*'s Morals, engliſh'd by Sir R. *L'Eſtrange*, *8vo*.
*Sherlock*'s Practical Diſcourſe on Death, *8vo* and *12mo*.----on a future Judgment, *8vo*.-----on a future State, *8vo*.----concerning the Divine Providence, *8vo*.----Sermons upon ſeveral Occaſions, 2 Vols. *8vo*.
*Stanhope*'s Commentary upon the Epiſtles and Goſpels, 4 Vols. *8vo*.
*Steele*'s Tatlers, 4 Vols.----Spectators, 8 Vols.---Guardian, 2 Vols.---Engliſhman---Lover and Reader---Political Writings---State of the Roman Catholick Religion---Romiſh Eccleſiaſtical Hiſtory---Miſcellany Poems---Ladies Library, 3 Vols.----Chriſtian Hero.
*Sydenham*'s Works, *8vo*.
*Sorbiere*'s Voyage to *England*, with Biſhop *Sprat*'s Obſervations thereon, *8vo*.
*Sprat*'s Hiſtory of the Royal Society, 3d Edit. *4to*.
*Schrevelius*'s Lexicon, *8vo*.
*Spaniſh* Rogue, or Life of *Guzman*, 2 Vols. *8vo*.
*Swift*'s Miſcellanies.---Tale of a Tub, with Cuts.
*Southerne*'s Plays, 2 Vols. *12mo*.
*Scarron*'s Novels, *8vo*.
Solitary Gardiner, *8vo*.
*Sturmy*'s Plurality of Worlds, *8vo*.
*Sanderſoni* Prælectiones de Conſcientia, *12mo*.
Secret Inſtructions of the Jeſuits, in Latin and Engliſh, *12mo*.

TIllotſon's Works, 3 Vols. *Folio*.
*Temple*'s Works, 2 Vols. *Folio*.
*Turkiſh* Spy, 8 Vols. *12mo*.
*Turner*'s Diſeaſes of the Skin, *8vo*.
----- Treatiſe on the Venereal Diſeaſe, *8vo*.
Treaty of *Reſwick*, *8vo*.
*Talent*'s View of Univerſal Hiſtory, *Folio*.

VIew of the *Dutch* Trade in all the States, Empires, and Kingdoms in the World. By *M. Huet*, *8vo*.
*Veneroni*'s Italian Grammar, *8vo*.
*Vauguion*'s Body of Surgery, *8vo*.
*Vertot*'s Revolutions of the Roman Republick, 2 Vols. *8vo*.
---------- in Sweden, *8vo*.----in Portugal, *8vo*.
*Vanbrugh*'s Plays, 2 Vols. *12mo*.
*Voiture*'s Works, 2 Vols. *12mo*.

WOOD's ſurvey of Trade, *8vo*.
*Wells*'s Maps and Geography.
*Whiſton*'s Aſtronomical Principles, *8vo*.
*Wiſeman*'s Surgery, 2 Vols, *8vo*.
*Wake* on the Church-Catechiſm, *8vo*.----Sermons, 3 Vols. *8vo*.
Weeks Preparation, *12mo*.
*Wall*'s Hiſtory of Infant Baptiſm, 2 Vols. *8vo*.
--- Defence of his Hiſtory, againſt the Reflections of Mr. *Gale*, &c. *8vo*.
*Wilkins*'s Principles and Duties of Natural Religion, *8vo*.
*Winſtanley*'s Hiſtorical Rarities and curious Obſervations, *8vo*.
*Wycherley*'s Plays, 2 Vols. *12mo*.
*Welſted*'s Epiſtles, Odes, &c. with a Tranſlation of *Longinus* on the Sublime, *8vo*.

d / f